

CLAVIS EUANGELICA.

Sive

DISPUTATIO BIBLICA

Quæ

DEO DUCE, ET
SCRIPTURA LUCÆ

Fores nodorum Evangelicorum præ-
cipuorum aperiuntur, Errores Adver-
sario-
rum deteguntur, & refutantur; Lux
atq; veritas Evangelica indica-
& vindicatur.

Authore & Praside

STEPHANO J. TETSI

Respondentibus (pro quantitate Aphorismorum
diversis & selectis, in Illustri Schola Varadina
horis, locoq; solitis.

Ex Libris
Regie
Bibliothecæ
Vindobonensis

V A R A D I N I

MDCXLVII. Edita
ATENGEDETT FOLCSPELDANY

DOKUMENTÁRA TÁRSASÁG
KÖNYVTÁRA

DUFLETT

obatio Reverendiss. ac Clariss. Viri, Do-
ni Michaëlis V. Dioszegi, Superintendentis
ecclesiarum cis-Tibiscanarum, vigilantissi-
i; Qui postquam opusculum hocce nostrum,
r occupationes Ecclesiasticas, vidisset, le-
zve, nobis tandem breviter in hunc mo-
m (præter epistolam libri nostri commen-
datoriam) scripsit:

Ego festinanter & cursim perlegi. Nihil
contrarii Orthodoxæ Religioni in hocce
opusculo inveni; Itaq; tuum est, Vir Cla-
issime, prælo subjicere.



MICH. V. DIOSZEGI,
Superintendentens.

ILLUSTRISSIMO TRANSYLVANIAE PRINCIPIS JUNIORIS,

D. D. GEORGIO RAKOCI, &c.

Domino meo clementis.

A Principum Principe, Domino JESU, gratiam & gloriam, & omnia in prosperitate apprecor.

Perfæ suos salutaturi Reges (ILLUSTRISSIME PRINCEPS) donum præ manibus semper ferre solebant, testimonium quippe gratitudinis. Ego quoq; Illustr^{tem} Vestram salutaturus, vacuus accedere, ut nec debui, sic nec volui: Sed qui mihi deest cum Apostolis, Petro Johanne, aurum & argentum quod præ manibus est, hoc I se offero munus. Munus Scholast^{ran}oq; Pri

E P I S T O L A

gnum, indignissimúmve. Nectamer.
 temerarius imprudens, aut impu-
 dens id facio. Imitor siquidem ser-
 vos dominis suis fideles, qui dum in
 domo dominorum suorum num-
 mum, aut quicpiam pretiosi repe-
 riunt, ad suos deferunt dominos,
 non quod ipsis donent, sed quod ad
 illos pertinere sciant. Sic & ego fa-
 cio, non fero hoc munus, ut meum,
 sed ut Vestrum. Tui siquidem Cel-
 sissimi Parentis, Domini D. GEOR-
 RAKOCHII, Principis Senioris,
 à laude dignissimi, quàm sim
 (Rector quippe Scholæ Vara-
 bolum in servitute Vestri re-
 anne dignè Tibi, Celsissimi
 ntis, Sereniss. offero Filio?
 3. Accipe igitur, eo quo
 no, Illustriss. Princeps,
 tis erga me favoris, &
 ean & hono-

D E Dea C A T O R I A.

ris *μνημόσυνον*, & quia dexterâ Servi Vestri, pro Illustrissimorum Rakocidûm prosperitate semper orantis, porrigitur manu; ne quæso sinistrâ benignissimi mei Domini recipiatur manu! Quod si verò digna tuâ minus est mea pagina mente; At voluisse sat est, animum, non munera jactō. Hîc finiam, adq; thronum gratiæ me supplex rogaturus convertam. Rogo & oro Principem Principum, Dominum Jesum, ut det Vest. Illust. bellicosissimi Josuæ prudentiam; Piissimi Josiæ pietatem; Sapientissimi Salomonis Sapientiam; Senisq; Davidis canitiē, postq; exoptatissimā sanioris & senioris vitæ canitiem, immarcescibilem vitæ perennaturæ coronam! Ocyssimè in celeb. Sch. Varad. Añ. 1647. currente Mer. Ar

ILLUSTRIT. V

Servus obsecr

STEPH. a

Præmunitio Authoris ad Respondentem facta.

UT Salomonem, sexaginta potentes è potenti-
bus Israël circumstantabant. (*Cant. 3. v. 7. 8.*) Sic
te quoq; , mi Respondens! sexaginta è poten-
tibus Israël, omnes stringentes gladium, edoctæ
bellum, accinctæ gladio super femur, circumstare
debeunt **DISTINCTIONES**: Qui enim benè di-
stinguit, is scripturæ nodum benè solvit. His ergò
subsequentium sexaginta conciliandi & solvendi
distinctionum & Aphorismorum phalangibus, præ-
moneo, Te ipsum præmunito.

ORDO DISTINCTIONUM.

1. Inspice fontes, & rivulos non habebis turbidos.
2. Distingue verba æquivoca, & sensum habebis univocum.
3. Antecedentia & consequentia confer, & connexa fient plana.
4. In collatione locorum videsis, an verè sint parallela.
5. Ubi organum obrusum scripturam operit, ibi clavis orationis aperit.
6. Sæpè legitur aliquid in scriptura, non secundum esse veri, & rei; sed secundum dici, & putari.
7. *No*n prius pugnare dic scripturam, nisi videas oppositionem fieri 1. secundum idem subjectum. 2. eandem subjecti partem. 3. eundem respectum. 4. idem tempus. 5. affirmativè & negativè.
8. Evangelistæ citant verba Prophetarum, vel Grammaticos, vel Pragmaticos; vel verbaliter, vel sensualiter.
9. *Man*datum Christi, aliud est Imperativum & nudum, aliud Imperativum & operativum simul. Priori mandat improbis, posteriori piis solum.
10. Innatus, vel illatus scripturæ; ille admit- tendus.

11. Quædam scripta sunt in Bibliis narrative & prolative, quædam prolative & approbative, Priori modo verba Diabolorum, &c.
12. Terminus universalis sæpè sumitur pro majori, sæpèq; pro meliori.
13. Scriptura sacra non tantum est *νοητικὴ*, sed & *λογικὴ* : non solum utitur principiis & Axiomatis nudis, sed & Argumentorum illationibus, e.g. Matth. 22. 32. 1. Cor. 15. 20. quibus in locis conclusiones eliciuntur ex præmissis.
14. Corpus Christi sumitur realiter, sed non oraliter; verè, sed non corporis ore.
15. Omnipotentia Dei subordinatur voluntati Divinæ; Ergò Ab omnipotentia Dei ad voluntatem ejusdem non valet consequentia.
16. A Toto Christo malè procedit argumentum ad Totum Christi; Sic homo moritur; E. & anima; non seq.
17. Media non sunt opposita, sed apposita fini.
18. De Christo quædam dicuntur secundum Deitatem, quædam secundum humanitatem, quædam secundum personam.
19. Valor Redemptionis Christi, etsi subjectivè esse sufficiens, pro omnibus tamen objectivè, nec sufficiens est, nec efficax.
20. Mediator Redemptionis & Intercessionis cum conjungitur à Deo, malè à Papistis disjungitur.
21. Objectum Religiosæ adorationis implicitum non exdit explicitum, sic in oratione Dominica ad Deus Pater, non excluso Filio.
22. Quæ diversa sunt, ne dic adversa.
23. Fratres dicuntur in scriptura vel jure sanguineitate jure gentilitatis & cognationis. Posterior Christus habuit fratres.
24. Promissio Dei impletur, vel in individuo perso in posteritate.
25. Tempora, Personas & Loca distingue, & solve.
26. Personæ sæpè binomines sunt.

27. Tempus vel est completum, vel incompletum, vel partialc, vel totale; vel propriè, vel synecdochicè sumptū.
28. Discrepat alicubi scriptura non realiter, sed verbaliter,
29. Acta & gesta diversis locis temporibusq; habitā malè confunduntur ut identica.
30. Unus Evangelistarum paucioribus, alter pluribus rem describens non contrariantur.
31. Apostoli & Evangelistæ usi sunt LXX. Interp. versione, non ut authenticā. sed ut pro tunc usū receptissimā.
32. Numerus pluralis per Enallagen sæpè pro singulari ponitur, sic duo latrones dicuntur maledicere Christo.
33. Numerus finitus pro infinito sæpè ponitur.
34. Doctrina & Vita Sanctorum sunt distinguenda. Illa semper sequenda, hæc sæpè cavenda.
35. Mandata Dei ostendunt, quid debeamus, non quid possimus facere.
36. Mandatorum quorundam usus in Veteri Testamento floruit, in Novo exaruit.
37. Negato modo scripturæ, non negatur res.
38. Testimonium Ecclesiæ de scriptura valet intra, & infra scripturam, non verò extra, & supra scripturam.
39. Ex scripturæ sublimitate, & rationis humanæ infirmitate, malè colligitur scripturæ obscuritas, sicut à cœcitate hominis obscuritas Solis.
40. Electus ad officium malè dicitur electus ad vitam æternam, ut Saul & Judas.
41. A non scripto ad non esse nō valet semper consequentia.
42. A vindicta publica, ad privatam malè proceditur.
43. Dubitatio ad tempus & partialis, non infert finalem & totalem, ac proinde nec incertitudinem salutis.
44. A vita Baptistæ & Eliæ aspera, ad vitam Monachorum modernorum prosperam, nulla est sequela.
45. Ab egenis Mendicis, ad validos Monachos mendicantes, non sequitur, de prioribus sonat Matth. 24. de posterioribus 2. Thess. 3. 10.
46. A confessione peccatorum generali, auricularis & articularis confessio Papistica perperam excuditur.

47. Ex usura moderata, malè usura mordax educitur.
48. A baptismo adultorum, ad Pædobaptismum malè argumentantur Anabaptistæ.
49. Posito baptismo externo, non semper ponitur internus.
50. Ex veneratione rerum sacrarum, malè adoratio panis colligitur.
51. Ex mutatione Sacramentali, quæ est mutatio usus, non essentiæ; malè Transsubstantiatio vel Consubstantiatio somniatur.
52. Positâ morte æterna infernali, non removetur vita naturæ, sed gloriæ tantùm.
53. Particulæ, Quia, Nam, Etenim, non semper sunt causales, sed quandoq; Ratiocinativæ.
54. Ex Identitate operis, malè Identitas actionis statuitur. Sic Act. 2. tradidit Deus Christum ex amore, Judas ex avaritia, Pharisæi ex invidia; hîc opus unum, actio diversa.
55. Res Dei, & res scripturæ debent distingui.
56. Videri dicitur Deus, non quantus est Sibi, sed qualis est nobis.
57. Deus præcepit malum, non moraliter, sed judicialiter.
58. Notitia Dei est vel Theoretica, vel Practica. Illâ novit & improbos, hac tantùm pios.
59. Perfectio alia est absoluta, alia comparata; alia partium, alia graduum; alia Legalis, alia Euangelica; alia affectûs, alia effectûs.
60. A particulari quandoq; ad universale procedit Syllogismus, ut Lazarus resurrexit; E. omnes homines resurgent. Sic Matth. 22. 32. Abrahami anima non est mortua; E. nullius hominis anima moritur.

O R A T I O A D D E U M.

O Pater luminum! sine cujus lumine & numine nihil boni est in homine. Auxilium meum esto in tuo Domine. Amen!

CLAVIS EVANGELICÆ
THESES.

EX MATHHEO.

I. **R**ectius dicitur *Euangelium secundum Matthæum*, quàm *Euangelium Matthæi*. Nam sub titulatione posterioris modi loquendi latitare talis videtur error; quasi Matthæus hujus Libri sit author: Dein' Textus quoq; Græcus ita habet, *Euangelium κατὰ Ματθαῖον*. Porro his succenturari possunt & Translationes omnes Latinæ, quæ habent *Euangelium secundum Matthæum*: Adde quod Marcus expressè scripsit, *Euangelium Jesu Christi, &c. Marc. 1.1.* Nec obstat, quod Paulus sua scripta, *Euangelium suum* vocat. *Rom. 2.16.* Id siquidem dixit, non quasi author, sed quia promulgator & minister esset Euangelii constitutus à Christo. Unde solemnes illæ phrasæ, *Paulus servus Jesu Christi &c.* Concludimus ergò, *καταχρηστικῶς* dici posse *Euangelium Matthæi*; at *ἀκριβῶς*, *Euangelium secundum Matthæum*, quippe cujus fuit scriptor, non author.

2. De ponte præcipitant ergò Pontificii auctoritatem scripturæ, qui ex eo quod dicitur *Euangelium Matthæi*, hoc impium excudere volunt dogma, quod Matthæus ex suo lubitu scripsit hunc librum; adeoq; scriptura sacra fortuitis occasionibus est scripta. Bell. lib. 4. c. Objurget eos proprius ipforum (ut vo-
cant

cant) Papa Petrus, qui *epist. 2. c. 1. v. 20.* ait, *Non lubitu hominis allata est olim prophetia, sed acti à spiritu sancto loquuti sunt sancti Dei homines.* Audiant Paulum. *2. Tim. 3. 16.* *Tota scriptura divinitus inspirata.* Videant Necessitatem *Judæ. v. 3. Phil. 3. 1.* Legant, quis Davidem direxit? *2. Sam. 23. v. 2.*

3. Arietant in scripturam ex eo quoq; Pontificii, *Quia Evangelium Matthæi non potest probari ex hoc libro quod sit Matthæi; Ergò docent ab autoritate Ecclesiæ dependere scripturam.* At advertant. Si Ecclesia testatur de scriptura, aut habet Testimonium illud ex scriptura, aut non; si habet, tùm testatur de scriptura, ex ipsa scriptura per scripturam. juxta *Nehem. 8. 9.* Si non habet, tùm testimonium illud est humanum; & quia tale, nullum. Deinde cognitio illius quæstionis, An Matthæus scripsit hoc Evangelium, tantum facit ad rem, quantum picta avena ad equum saginandum, nec magis est necessaria scitu, quam hoc, an calamo asferino, vel æneo scripsit? Illi litigent de Authore, ejusdemq; calamo. Nobis sufficit scire hunc librum esse canonicum. Id quod deprehendimus. 1. Ex stylo majestatico. 2. Doctrinæ celsitate. 3. Omnium partium coherentiâ. 4. Consolationis soliditate, quam nunquam ex lectione scripti Aristotelici afflicta posset haurire anima, deniq; ex sexcentis hujusmodi criteriis.

4. Nec quidquam derogat autoritati hujus bri id quod obtrudunt instar Achillei cujusdam gumenti, errant Pontificii, quod Matthæus

braicè suum scripsit Euangelium. Hoc namq; docendum, non dicendum, Illud probandum, non supponendum, quod in æternum non edocebunt, vel probabunt Pontificii. Dicant enimverò si Hebraicè Matthæus suum scripsit Euangelium, ecquis in Græcam transtulit linguam? Hic (restringimus illos) commento ficto nil opus. Non dissimulamus quædam verba & sententias esse scripta Hebraicè. Sed in Euangelista ibidem facilè illorum extat respondere. Quæ etenim Hebraicè sunt apposta, ea ibidem Græcè sunt exposita: v. g. *Immanuel Matth. 1. 23.* interpretatur Græcè: *Nobiscum Deus.* Et *Matth. 27. 46.* *Eli, Eli, lamma sabachthani?* ibidem explicatur. *Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti?* Adde quod Euangelium Marci sic deberent docere Pontificii Syriacè scriptum, quia habet *Marc. 5. 41.* *Tabitha cumi. Puella surge.* *Etc. 15. v. 34.* *Eloj, Eloj, lamma sabachthani?* quæ verba sunt Syriaca. Postremò, cur Euangelium Marci non docent esse Hebraicè scriptum, quum Hebraicè quædam habeat, ut: *Corban*, id est, *donum.* *Marc. 7. 11.*

5. Sed hætenus extra oleas Euangelicarum Controversiarum ambulasse sat esto; Nunc intra oleas accedamus, & nodos solvamus Euangelicos. Primum ergò dubium versu primo erutum sic solvitur: Matthæus narrando *generationem Jesu Christi* quoad generationem, non est contrarius Esaiæ, qui *c. 53. 8.* dicit *ejus generationem nominem enarraturum esse, vel postquam Esaias loquitur de divina natura Christi, generatione æterna, c. 1. 1.* a ab æterno à Patre

est genitus; cujus generationis nemo existit coævus, ergo meritò nemo enarrator vel scriptor.
Matth. 1. v. 1.

6. Adulteratam antea à se, nemo potest sibi ducere in uxorem reduplicativè quà adulterata est, potest tamen specificativè, quæ adulterata fuit, sed jam resipuit. Si verò quis priori modo ducit, non conjugium, sed continuationem adulterii admittit. Nec illis favet exemplum Davidis, Bethsaben in uxorem ducentis, quia uterq; resipuerant. *Matth. 1. 6.*

7. Ex Polygamia Patrum Veteris Testamenti, non colligitur legitimus usus diversarum uxorum In Novo Testamento. Ratio, quia Patres in eo peccarunt. Nec est, quod dicant, liberorum procreandorum, causa fecere. Non enim *facienda mala, ut eveniant bona.* *Rom. 3. 8. Matth. 1. 6. 7. &c.*

8. Matthæus & Lucas non pugnant in describenda Genealogia Christi. Ille siquidem descripsit Maiores Christi Naturales; Iste Legales: Vel ut doctis quibusdam placet, Matthæus Josephi genealogiam recenser, Lucas Mariæ.

9. Diverſo, sed non adverſo modo scripserunt Evangelistæ, ideo ne viderentur ex compacto scripsisse. Sic diversitas occurrit in *v. 16. Matth. cap. 1. & Luc. 3. 23.* Ubi Matthæus Josephi patrem dicit *Jacobum*; Lucas ipsum *Heli*. Sed diversus respectus sicut est adversus. Joseph est filius naturalis Jacobi, patet ex voce *genuit.* *Heli* filius est, qui civiliter dicitur. Hoc scripturæ est solemne. Vide *mat Ruthæ, Nahomî suas nurus quam sæ*

Sic nostrò quoq; seculo hoc est frequens & usitatum. Breviter, Lucas genealogiam Mariæ narrat, & loco Mariæ, apponit nomen Josephi. Hujus rei talis apud P. Galatinum extat ratio: Mos non est scripturarum per mulieres genealogias texere, idcirco Lucas in Virginis gloriosæ genealogia, loco ipsius Virginis Mariæ, Josephum posuit, eumq; filium *Eli* nuncupavit. Nec repugnat quod Matthæus in genealogia hîc recenset *Rutham & Rachabam*. Alio enim id fecit consilio & modo, incidenter quippe. Deinde, præmissis nominibus maritorum utrarumq;.

10. Quod tres Reges omittantur *Achazias, Joas, & Amazias*: non est quod insultent scopticè Judæi Christianis, quasi Novum Testamentum sit contrarium Veteri, in quo leguntur nominati Reges. Amissio siquidem horum Regum facta est non ex lapsu memoriæ Matthæi, nec vitio Librariorum; sed certo Dei consilio, quippe Deus maledixerat *Achabi familie, & se excisurum quicquid erat Achabi, usq; ad mingentem in parietem, 1. Reg. 21. 21. 2. Reg. 9. 8.* Sed hîc clamitant Judæi, Cur non potius *Oziam* aut *Azariam*, aut reliquos omisit, qui immediatè ex filia Achabi condescenderant? Compescat illos Lex Mosis, quæ docet Deum peccata patrum punire in *tertiam* saltem, vel *quartam generationem, Exod. 20.* Abeuntibus Judæis, hîc ad Pontificii, & scripturam imperfectione arguunt. Sed Moses ipse, qui Judæis, ipsis quoq; respon-
 Miror Pontificios ex omissione horum Regum non probari, ex tribu eorum oriundum Antiphoniam, & tribu *Dan* oriundum ideò saltem doceant.

ent; quod omiffa fit tribus Dan Apoc. 7. Matth. 1. 8.

11. Non adverfatur fibi fcriptura quàm dicit *Jofiam genuiffe Jechoniam in transportatione Babylonica*, etfi altera fcriptura doceat *Jofiam* diu jam ante occubuiſſe, 2. Paral. 34. 28. & 6. 35. 24. Nam Græca præpoſitio ἐπι non tantùm ſignificat *in*, ſed & *circa*: Unde rectiùs vertitur, *circa transportationem Babylonicam*. Nec hoc infuetum tum in Græciſmo, (vide Marc. 11. 26.) tum in Hebraiſmo, ubi præpoſitio *be* ponitur pro *lamed*, vel *ngal*. Matth. 1. 11.

12. *Jechoniam* dum dicit Matthæus genuiffe *Salathielem*, non repugnat Jeremiæ, qui cap. 22. eundem *Jechoniam* dixit *orbem fore liberis*. Si enim accuratè inſpiciatur textus Hebræus, non dicit ſimpliciter *orbem fore liberis*, ſed ex ſemine illius non proſperabitur quiſquam ſeſſurus in folio Davidis: Loquitur ergo Matthæus de generatione filii *Jechoniæ*; Jeremias verò de infelicitate feminis *Jechoniaci*. Matth. 1. 7. 12.

13. Quod *Salathielis filius* vocatur *Zorobabel* in Matthæo, & in Paral. 3. 17. 18. 19. *Pedaja filius* dicitur, multi multis modis conciliare ſtudent; mihi æquior videtur Cl. Theologi D. Frid. Spanh. ſententia, quâ ſtatuitur: *Salathielem* abſq; *liberis* extinctum fuiſſe, & uxorem ejus *Pedajah* pro jure *Leviratus* ſibi duxiſſe, ex qua *Salathielis* uxore ducta, genitus rectè dicitur *Zorobabel*. *Ibid.*

14. Quàm *Maria* dicitur *uterum ferre ex Spirito ſancto*, particula *ex*, *de*, *ex*, non eſt nota mat

sed causæ efficientis. uti & Rom. 11. 36. Non ergo Christus est genitus quoad carnem, ex substantia Spiritus Sancti. Igitur errant Anabaptistæ, Manichæi, Marcionitæ & Cerdoniani, qui cœleste corpus Christo affingunt. quippe quasi cœlo corpus tulerit, & per uterum beatæ Mariæ Virginis, (velut Canalem quendam) traduxerit, Matth. 1. 18.

15. Nomen *Jesus*, ita est proprium Christo, ut nemini propriè competat; Estq; nomen impositum ab effectu, quia est *salvator sui populi*. Nil obstat, quod & Josuæ ipsi id ipsum tribuitur. Id enim fit impropriè, sicut & *Moses Redemptor* dicitur impropriè Act. 7. 15. ob ministerium suum in exitu Israël ex Ægypto. At nunquam Sociniani ostendent, vel *Mosen*, vel *Josua* populum suum servasse ex peccatis suis. Hoc enim efficere est propriissimum Christo 1. Job. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato*. Matth. 1. 21.

16. Vox *Immanuel*, non tam est denominationis, quam dignitatis. Estq; causa hæc vox, cur filius Dei *Jesus* vocatur? & quare salvet populum, quippe quia est *Deus nobiscum*: Jam verò *solus Deus potest expiare peccata*. Psal. 30. 8. Nihil facit ad rem id quod Judæi nobis obtrudunt: Quasi oraculum male & contortè ad *Jesum Nazarenum*, refertur. Judicemus Judæos ex verbis ipsorum. Quidam Judæi doceant hanc historiam ad *Ezechie* nativitatem referre. At perperam, nam jam tunc natus erat *Esaias* Rex, dum scriberet hanc historiam *Esaias*. Achaz regnavit An. 16. 2. Reg. 16. *Ezechias* verò quin successit in Regno Patri Achazo.

2. Reg. 18. 2. Adde quòd Ezechia Nativitas non fuit ex Virgine, ergò nec miraculosa, qualem historia indigitat. Quidam docent intelligi debere per *Immanuelem*, quendam Achazi filium, quem suscepit ex juvencula quadam, sed id precario, & gratis dicitur. Deniq; talis Nativitas nò est miraculosa. Unde liquet *Immanuelem* esse *Jesum Nazarenum*. Matth. 1. 23.

17. Mariam Virginem fuisse ante partum, possit probari, tum ex Veteri, tum ex Novo Test. & credimus hoc, ut dogma fidei; (ut loquitur Franciscus Junius) At perpetuam Virginitatem post partum & quidem ad mortem usq; credimus ut assensu dignum, non ut dogma fidei contra Helvidium, qui post partum Josepho cognitam docet fuisse Mariam. Parùm militat particula *donec* pro Helvidio, quæ sæpè tempus infinitum denotat. ut 2. Sam. 6. 23. *Michal non habuit prolem donec moreretur.* id est nunquam. Matth. 28. 20. *Christus nobiscum donec consummetur seculum.* i. e. semper Matth. 1. 25.

18. *Jesum Nazarenus*, Bethlemi natus, Nazarethæ educatus, est patribus promissus Messias. qui jam venit Contraq; Judæos clamant, Destructa Bethlehema, sceptrum ablatum, & omnia vaticinia completa Matth. 2. 1.

19. Vox *Magus*, est vocabulum *μαγαν*, aliquando in bonam, aliquando in malam partem sumptum. Hic à Mathæo in bonam partem sumitur, & significat sapientes, qui in Astrorum disciplina ver-

20. Exemplum Magorum nihil favet Astrologia
judiciaria, subaudi, superstitiosa, quæ extra sana
& probatissima principia Astronomica in Dei pro-
videntiam scrutandam sese ingerit. Nec obstat quod
Gen. 2. 14. Luminaria posita dicantur in signum. Sunt
enim signa rerum naturalium, & necessariarum,
non contingentium respectu causarum secundarum.
Huc pertinet expressa Dei prohibitio Astrologiæ
judiciariæ. *Deut. 18. 10.* intellige temerariæ. *Ibid.*

21. Olet Papismus, quod hi Magi vocantur Re-
ges & quidem tres. Egregia traditio! Commen-
tum anile est, quod fuerint nominibus, Caspar,
Balthasar, & Melchior. Non est subtrahenda hinc Ido-
latria Pontificia ex eo enixa, quod festum his tri-
bus (ut putant) Regibus ordinarunt, honoremq;
Dei (cujus *sunt dies & nox Psal. 74.*) creaturis detu-
lerunt. *Matth. 2. 2.*

22. *Stella Magis visa*, non fuit Angelus, neque Spi-
ritus Sanctus, neq; stella fixa, octavi orbis; neq;
erratica inferiorum orbium, neq; Cometes; sed
fuit luminosum corpus, divinitus accensum in coe-
lo aërio, lumine, motu, situq; à reliquis stellis di-
versum. Nec obstat quod à Matthæo *stella* vocetur,
id enim dicitur propter similitudinem, quam ha-
bet cum *stella*, adeoq; quia vicem stellæ Magis præ-
stitit. Quod vera stella non fuit patet ex eo, quia
interdiu conspiciebatur, & nunc apparuit, nunc
disparuit, nunc altiori, nunc depressiori moveba-
tur loco. *Ibid.*

23. Non pugnat *Matthæus* cum Michea, dum Beth

lehemani dicit *nequaquam minimam*; quum *Micheas* dicit *minimam esse*. Diverso enim respectu utrumq; verum est. Non est *minima*, respectu Christi Regis ex ea oriundi; At *minima*, respectu reliquarum urbium & civitatum splendidissimarum, & opulentissimarum, de qua Mich. *Matth. 2. 6.*

24. Magi non Civili, sed Religiosa adoratione adorarunt Jesum, id quod indigitatur in phrasi, 1. *proidentes adorarunt*. 2. Nulla causa Civilis adorationis. Ergò dubio procul divinitus erant edocti de adoratione. 3. Adde, talis fuit cultus ille quem ne Herodi quidem tribuerunt. 4. Herodes quoq; religiosam illorum adorationem intellexit. Hunc dicuntur *adorare omnes Angeli Dei. Hebr. 1. 6.* Unde liquet Christum esse verum Deum, & verum Religiosum cultum soli Deo deberi. *Matth. 2. 11.*

25. Et si simul Maria cum Christo invenitur, non tamen simul adoratur. Unde cadit Mariæ latria. *Ibid.*

26. Benè-datam fidem etiam Hæreticis servandam esse docemus. Nec repugnat exemplum Magorum, qui malè-datam fidem quippe ignorantèr Impio Regi violarunt. Id enim fecerunt ex speciali Dei revelatione. Vinculum iniquitatis non debet esse promissio, Votum, vel Juramentum. In malis præmissis rescindenda est fides. Sic, si Latrones adjurent hominem deprehensum in sylva, ne eos inibi latitantes indicet. Si jam homo ille sciat venturos in nocte Latrones, & succensuros Civitatem, an malè homo rescindet fidem falsò & cum damno totis

Reipublicæ datam? Nequaquam. *Matth. 2. 12.*

27. Prophetia Hofæ partim in Christo, partim in Israëlitis est impleta. Sensus loci est, *Quia Israël est puer quem diligo*, id est, Ecclesia mihi dilecta est sicut puer, qui se nescit curare, ideo *Ex Aegypto vocavi filium meum*, i. e. Messiam, ut sit Ecclesiæ meæ Redemptor & gubernator. *Matth. 2. 15.*

28. Verba citata Jeremiæ & Matthæi non sunt ad-versa, sed diversa. Differunt non sensualiter, sed verbaliter. Jeremias loquitur historicè, de captivitate Babylonica; At Propheticè & de infanticidio Herodis, de quo Matthæus. *Matth. 2. 18.*

29. Triplici de causa Christus dici potest Nazare-nus: 1. Quia est Naziræus Dei adumbratus, in Jose-pho, *Gen. 49. 26.* & Samsonè, *Judic. 13. 5.* 2. Quia est netzer, i. e. furculus è trunco Jesse, *Esa. 11.* & zemach, i. e. germen, *Zach. 3.* 3. A patria contempta, Nazarenus. Nazareth enim in proverbiali loquutione significat contemptum. Hinc illud, *Quid boni ex Nazareth?* Hic contemptus Christi status est prædictus per Pro-phetas. *Psal. 22.* & *Esa. 13.* integro. Hic usum habet Regula: Prædictiones Propheticæ non semper sunt grammaticæ, sed quandoq; pragmaticæ.

30. Rectius vertitur τὸ μετανοεῖν per Resipiscere, quàm per pœnitentiam agere. Quia pœnitentia non ex-primit totam naturam Conversionis, sed dolorem tantùm de præteritis culpis. At Resipiscentia & dolo-rem includit, & vitæ emendationem significat.

31. Mandatum Dei non est mensura virium nostrarum, sed saltem Regula officiorum faciendorum.

Non sequitur ergò ex mandato Johannis liberum, hominis arbitrium, ad electionem boni, multo minus ad executionem: *nam in malonati. a. b. p. o. l. e. a. n. s. u. n. u. s.*

32. Ex eo quod dicitur, *appropinquavit regnum caelorum*, malè concludunt Pontificii & Sociniani Veteris Testamenti Patribus coelum clausum fuisse. Quia hìc *regnum caelorum* non de regno gloriae, sed gratiae intelligendum. Deniq; dato, non concesso, quod de regno gloriae sonet, tamen ex eo quod appropinquare dicatur, non sequitur clausum fuisse. Nec quidquam obtinebunt obtrusione loci Hebr. ii. 39. Patres non receperunt promissa; Ergo nec ingressi coelum. Eodem enim capite expressè dicitur *Enochus translatus ad Deum*. Locus intelligendus est de Messia, quem etsi oculis viderunt spiritalibus, uti & Abraham, Joh 8. corporis tamen oculis non viderunt. Matth. 3. 2.

33. Exemplum Baptistae nihil favet 1. Vitae Monasticae, quia Johannes non herendi & merendi causa, sed serviendi ergò venit in desertum. Inibi q; non solitarius vixit, sed cum hominibus ad eum egressis. 2. Nec delectationi ciborum Papali. Baptista enim 1. Hos cibos praè aliis non sibi selegit. 2. Nec merendi gratia fecit. At contra Pontificii. Adde, quod Pontificii non utantur locustis & melle agresti, sed cibis delectis & delicatis: Damnamus ergò hinc 1. Vitam monasticam, quae est *ἡμελωειασο. θεησοκεία*, viven-

diq; modus ἀρχαφος, & ἀνὶ ἀρχαφος. 2. Rejicimus Jejunia meritoria, at piè recipimus Jejunia præparatoria & domatoria carnis. Matth. 3.4.

34. Baptista non fuit Anachoreta, Quia non perpetuò vixit in deserto, uti Eremitæ, sed populo compellato, Christoq; baptizato, reliquit desertû. Adde diversitatem inter Johannem & modernos Eremitas; 1. Johannes designatus à Deo Naziræus, hi non item. 2. Johannes non habebat *Votum*, at hi habent. 3. Johannes non aufugit hominum conspectum, imò eos baptizavit. Adde quod Herodes audivit eum sæpe. Ubi? Non utiq; in deserto, sed in oppido. *Ibid.*

35. Contra Concilium Tridentinum piè credimus *Baptisma Johannis* idem fuisse cum *Baptismo Christi*, quorum quippe 1. Eadem essentia, materia, & forma. 2. Eadem origo. 3. Doctrina. 4. Finis. Remissio peccatorum. Nec quidquam obtinent loco *Act. 19. 4.* Illi enim vel fuerunt baptizati, vel non; si fuerunt, malè fuerunt, & falsò in nomine Johannis, & sic Paulus meritò baptizasse diceretur: si non fuerunt, meritò baptizasset. Si verò verè fuerint à Johanne baptizati, nihil abiurdi sequitur, quia Paulus illos tantum confirmavit impositione manuum de semel suscepto Baptismo. Adde quod baptizari *baptismo Johannis*, est, teste Beza, in doctrina Johannis initiari. *Matth. 3. 6.*

36. Auricularis confessio Pontificia hinc nequit colligi, magna siquidem est diversitas inter confessionem hanc Baptisticam, & Papisticam, Baptistica est generalis; Papistica Specialis: Baptistica se.

ea semel; Papist. quotannis: Baptist. libera; At
 Papist. necessaria: Bapt. præparatoria; Papist. me-
 ritoria: Bapt. ante; Papist. post Baptismum. Baptist.
 Publica sonora; Papist. priva: & muffedata. *Ibid.*

37. Exemplum Judæorum confitentium pecca-
 ta, malè ab Anabaptistis in Regulam trahitur, &
 infantibus ex eo baptismus negatur. Alia siquidem
 adultorum, alia infantum ratio habenda est. In
 adultis requiritur confessio, in infantibus non item.
 Nec quidquam derogat Baptismo. Siquidem Ba-
 ptismi efficacia nō pendet vel ab administrante mi-
 nistro, vel à recipiente baptizando, sed à baptiza-
 tore Deo. Deniq; si datur signatum infantibus;
 quidni signum fœderis? quod minus. *Ibid.*

38. Improbi qui sunt instar *paleæ*, & si sint in Ec-
 clesia Dei visibili, non sunt tamen de Ecclesia invi-
 sibili. Sunt de externa visibiliq; quoad congregatio-
 nem externam, non quoad insitionem internam in
 Ecclesia invisibili. Sunt in Ecclesia invisibili *φαινο-
 ρώδεις*, non *ὄντως*. *Matth. 3. 12.*

39. Ex eo quod *spiritus S. in forma columbe* ap-
 paruit malè excudere volunt Pontificii, Idololatri-
 cas suas Imagines. Quandoquidem Deo id licuit
 facere, qui legem non habet, At Pontificii aut ha-
 bent legem, aut non; si habent, tùm contra legem
 non licet; si non habent, tùm sunt Ethnici exleges.
 2. Illa fuit apparitio, non exsculptio Imaginis. 3. Ad
 tempus parvum, 4. Nihil à columba ad diversas I-
 magines Jehovæ à Pontificiis excogitatas *Matth. 3. 16.*

40. Ex Jejunio Christi quadragesimali, Jejunium Pontificale malè colligitur. 1. Quia non habent mandatum, ut Christus impulsu spiritus fecit. 2. Quia abstinuit Christus omni cibo; At contra Pontificii. 3. Semel Christus fecit; At Pontificii quotannis. Rectius igitur Jejunium Pontificale, (quàm sit delectus ciborum in negotio Religionis) dicitur *doctrina demoniorum*; quam imitatio Christi. 1. *Tim.* 4. 1. 2. 3. 4. *Matth.* 4. 1. 2.

41. Tentationes an realiter & historicè Christo sunt objectæ. Rem piè credimus, modum doctè ignoramus in Schola gratiæ. *Ibidem.*

42. Ordo narrationis diversus, non facit adversam rei narrationem. Evangelistæ conveniunt in re, in ordine non necesse: Idq; fecerunt ne viderentur ex compacto collatis operibus scripsisse. *Ibidem.*

43. Dogma Pontificum, quo statuitur singulis hominibus, singulos Angelos esse, destinatos, est ἀγγελον, ἀν' ἑκάστου. Quia hoc loci multos unico Christo tribuit Angelos. Reclamant & loca scripturæ Pontificiis, *Psal.* 34. 8. *Hebr.* 11. 14. Observabile & illud, quod scriptura pius tantum hominibus Angelos tribuit improbis non item. *Matth.* 4. 6.

44. Quia soli DEO Christus restringit Adorationem, hinc liquet Pontificios graviter peccare, qui Sanctos quoq; adorant. Nee valet efficta fucata distinctio adorationis in λατρείαν & δουλείαν. Hæc im indifferentè sumuntur, e. g. λατρεύειν homini-

minibus tribuitur, juxta LXX. interpr. Deut. 28. 42.
ὁ δὲ θεὸς Deo, Rōm. 12. 11. Matth. 4. 10.

45. Quia discipuli rudes vocati sunt anteceden-
 ter, malè ex eo colligunt Anabaptistæ & Enthusia-
 stæ, Doctorū ex Ecclesiis & Scholis eliminationem,
 ac proinde subulcorum & bubulcorum in cathe-
 dram ascensionem, ad Euangelii prædicationem.
 Eisi enim Apostoli rudes erant antecederet ad vo-
 cationem, non tamen in ea relictis inscitia. Matth. 4. 18.

46. Quia *piscatores hominum* dicuntur Apostoli,
 hinc ineptè arguantur Anabaptistæ, non debere in-
 fantes baptizare: Quia Apostoli non sunt infantum
 piscatores. Bovem fuisse credendum est illos in in-
 fantia, & asinum in juventute, talpa cætiorem in se-
 nectute, qui nesciant hîc homines non opponi infan-
 tibus, sed *piscibus*, quorum antea *piscatores* erant,
 Matth. 4. 19.

47. Discipuli *relictis retibus* nihil favent vitæ Mo-
 nasticæ, nec sectæ Anabaptisticæ. Relictio enim illa
 non fuit ejuratio possessionum & bonorum, sed sta-
 tûs mutatio. Quia Apostoli postmodum quoq; ha-
 buerunt *domum*, ut Petrus, Matth. 8. 14. Johannes, Joh.
 19. 27. Adde quod hi vocabantur à Christo, at Mona-
 chi non. Discipuli Christum sequuntur, non invitis
 parentibus, ut Monachi etiâ invitis parentibus quo-
 dam recipiunt, ac proinde docent contra voluntatē
 parentum posse liberos adire Monasteria, Matth. 4. 21.

48. Perperam à Pontificiis & Beatitudines tot-
 idem merita esse docentur. Quia Christus non ca-

las meritorias & efficientes narrat beatitudinis, sed subjecta describit beatitudinis quæ sint? non quare tales? *Matth. 5. 3. 4.*

49. Bellar. lib. 2. c. 20. de Monachis, malè ex hac phrasi: *Beati pauperes spiritu*, probat paupertatem Monachorum mendicantium, quùm Christus hoc loci non agit de paupertate merendi causa sibi accessita, sed de paupertate spirituali, i. e. qui sunt corde humili, demisso, contritoq; , & humiliter de se sentiunt, adeoq; spiritualis in ipsis boni carentiam agnoscunt. Adde quod externa paupertas corporalis, nec externæ divitiæ, faciunt nos beatiores, *1. Cor. 8. 8. Esca ut non commendat nos Deo*, sic nec paupertas. *Matth. 5. 3.*

50. *Qui sunt mundi corde videbunt Deum*, sed non quia mundi ex se se. *Quis enim dabit mundum ex immundo? Job. 14. 5. Matth. 5. 8.*

51. Videbitur Deus non absolutè secundum essentiam, sed dispensativè secundum gratiam, non comprehensivè, sed apprehensivè, non quantum est in se, sed qualis apparebit nobis. *Ibidem.*

52. *Mercēs* hîc improprie intelligitur. Proprie enim *merces* illi dabitur, qui legitime & proportionaliter legem implebit. Jam verò legem nemo potest implere, quia *homo non potest subjici legi. Rom. 8. 7.* Adde, aut debet homo facere bonum, aut non; Si debet, ut fatentur Pontificii, tùm nil meretur. Quia nullum debitum meretur. *Matth. 5. 12.*

53. Ex mandato, *ita splendeat lux vestra coram hominibus &c.* malè excudunt Pontificii viribus naturæ posse

posse opera bona proficisci : Mandatum enim aut hic sonat ad regenitos, aut ad irregenitos ; Si ad regenitos, tum mandatum ergà eos est operativum & imperativum, & sic Deus operatur in eis bonum ; Si ad irregenitos, tum mandatum est imperativum, ostendens quid deberent, non quid possent facere. *conf. 2. Cor. 3. 5. Matth. 5. 16.*

54. Opera regenitorum *lux* dicuntur, non quod absolute & legaliter sunt bona, sed quia respiciuntur in Christo, sunt Euangelicè acceptata & bona. Bona ergò dicuntur, 1. Quia bona originaliter. 2. Materialiter. 3. Formaliter. 4. Finaliter. Illa verò bonitas redundat à Spiritu sancto per fidem in piorum opera. *Ibidem.*

55. Christus non dissolvit legem de adulteris puniendis, quod *Joh. 8.* mulierem adulteram non condemnavit. Id enim fecit, ut declararet se esse verum Deum, quippe quia novit astutiam & calumniam Pharisaorum. Nil ergò Mofi repugnat vel in hoc capite, neq; laxat habenas peccare-volentibus. dicit enim *Johan. 8. Vade, & amplius ne peccare.*

56. Etsi hæc sententia, *audistis dictum fuisse antiquis* commodè potest explicare per quartum casum & tertium (ut sit sensus, dictum esse ad antiquos, vel ipsis antiquis) tamen commodius explicatur per sextum casum, ut sit sensus, dictum fuisse ab antiquis, scilicet à majoribus vestris. Quibus antiquis opponit Christus sua verba, tanquam falsariis legis Moisaicæ, qui crimina tantum externa crassiora, reputabant contra legem fieri. Non ergò se opponit Mofi,

ut volunt Sociniani, sed potius Moſem vindicat à corruptoribus. *Matth. 5. 21.*

57. *Minima* vocantur quædam præcepta non ex mente Chriſti, ſed Phariſæorum, qui *maxima mandata* putabant eſſe quæ reſpiciabant actus externos, ut fuerunt, lotiones, donum in chorban; *Minima* verò reputabant mandata reſpicientia actus internos. Perperam ergò hinc Pontificii *minima* excudere volunt mandata, contra quæ admiſſa peccata ſint venialia naturâ, imò tantum abeſt ut ſint venialia, ut potius excludant hominem ex regno cœlorum. quia *minimum* eſſe in regno cœlorum, eſt nullum eſſe: ſiquidem ibi parvi non erunt, ſed omnes magni. *Matth. 5. 19.*

58. Ex eo quòd quidam magnus vocabitur in regno cœlorum, diverſitas præmiorum & graduum in vita æterna nequit extrui. Si enim illic parvi darentur, tum eſſet imperfectio. Probabilior eſt ergò ſententia, & refutationi dogmatum Pontificiorum magis apta, quæ docet gloriam tum quoad rem, tum quoad modum & gradum rei æqualem fore. Quia electio & juſtificatio fidelium eſt æqualis, ſic & glorificatio. Adde, quia & ſanctificatio æqualis erit in cœlo, (unus enim non magis, quam alter ſanctus erit) Ergo & glorificatio. Concludam aureo loco *Matth. 13. 43. Omnes juſti fulgebunt ut ſol.* Jam verò Solis lucæ major lux non poteſt dari. Ergò quia tantummodo juſti erunt participes gloriæ, omnes neceſſe eſt pares fore. *Ibid.*

59. Ex abundantia diſcipulorum requiſita bonorum

rum operum, præ justitia Pharisaica, malè opus supererogationis extruitur. *Matth. 5. 20.*

60. Diversitate peccatorum, & horum poenarum, non docetur venialitas peccati. Observabile est quod saltem in foro Judaico nullum tam leve fuit peccatum, quod non dignum poenâ fuisset pro quantitate delicti; quanto magis in foro Poli. *Matth. 5. 22.*

61. *Altaris* mentionem faciendo Salvator, respexit ad suum tempus; erat namq; tunc altare Jerosolymis: Unde ineptè Pontificii & Lutherani colligunt hodie in Novo Test. *altarium* extruccionem. *Matth. 5. 24.*

62. Per *Carcerem* Infernus, non Purgatorium intelligitur. Si verò Purgatorium intelligitur (ut volunt Pontificii) tum actum erit de liberatione, quàm ex hoc carcere nunquam detur liberatio, quippe in qua nulla potest intercedere satisfactio. Si esset satisfactio, vel esset ab aliis, vel à seipsis, non ab aliis, *quia nemo potest fratrem liberare à morte, nec dare redemptionem animæ. Psal. 49. 8.* Non deniq; à seipsis *Matth. 16. 26. Matth. 5. 25.*

63. Malè Pontificii colligunt ex hac phrasi, *Audistis quod dictum sit*; quasi plebs tantum audire; non legere debeat verbum Dei. Falsum enim est in Vet. Test. non legisse, *quàm manibus ligabant, in frontibus gerebant, luminibus ascribebant. Deut. 6. 8. 9.* Adde quod lectio Bibliorum cum auditione sit conjuncta, *Apoc. 1. 3. Beatus qui legit, & beati qui audiunt verba prophetiæ hujus, &c. Matth. 5. 27.*

64. Matrimonii dissolutionis causam dum docet

cet Salvator esse solam *fornicationem*, non est contra-
 rius Paulo, qui 1 Cor. 7. 15. desertionem, legitimam
 dissolutionis dicit esse causam. Etenim Christus lo-
 quitur de activo & voluntario divortio faciundo,
 quando liceat divortium facere; Paulus de divortio
 passivo, involuntario, & jam patrato, quando altera
 pars deserta patitur. In tali casu partem desertam
 suæ libertati restitui, nec servituti adstringi debere
 judicat. ut doctè de hac re Cl. Theologus Frideri-
 cus Spanhemius, in dubiis Euang. part. 3. dub. 148.
Matth. 5. 23.

62. Directè diametraliter Christo se se opponit
 Tridentinum Concilium; quod Sess. 8. Can. 7. de
 matrim. anathematizat eum, qui docet per adulte-
 rium alterius utrius conjugum posse dissolvi ma-
 trimonium. Ecce fulmen brutum Tridentini Con-
 cillii contra Christum jaculatum! *Ibidem.*

66. Non legitimum *juramentum*, sed temerari-
 um, & illegitimum per creaturas factum prohibet
 hic Dominus: Nec ullam Mosaicæ legis facit innova-
 tionem, in Mosis lege etenim id expressè extat. *Deut.*
6. 13. ubi juramentum ad solius Dei nomen restringitur.
 Fallum juramentum damnatur *Jer. 5. 7. Matth. 5. 34.*

67. Christus non est corrector, multo minus cor-
 ruptor legis Mosaicæ, sed à corruptelis vindicator.
 Pharisei docebant licere suam injuriam unicuiq;
 privatâ autoritate vindicare. Id corrigit Salvator,
 Idq; non contra Mosem, sed cum Mose *Lev. 19. 18. Ne*
queras ultionem scilicet privata autoritate. Matth. 5. 39.

68. Non

68. Non est sibi contrarius Christus, prohibens exercere *eleemosynam* hoc loci coram hominibus, supra verò mandans, *lucere lucem coram hominibus*. Hic enim prohibet ostentationem, Illic mandat ædificationem. hic prohibet opera hypocritica, Illic jubet opera bona. *Matth. 6. 1.*

69. Merces hic quia indebita, non arguit meritum, sed æquipollet gratiæ, ut optimus hujus vocis interpret est Lucas, qui *cap. 6. v. 32. 33. 34.* iteratis vicibus *mercedem* vocat *gratiam*. *Ibidem.*

70. Deus Pater dicitur in *oculto esse*, non sibi, sed nobis, Deus enim ubique adest, nullibi inclusus, nec alicunde exclusus. In *cælis* verò dicitur *esse*, ob specificam majestatis exhibitionem. *Matth. 6. 4.*

71. Non excluditur oratio publica in templis, sed tantum ostenditur: Ne oratio sive publica, sive privata fiat ostentationis gratia. Hic non agitur propriè de loco, sed de modo & scopo orationis. Orandum siquidem est ubique, *2. Tim. 2. 8.* Nec peccavit Daniel contra hunc orandi modum. *Extensio enim, manus, & apertio fenestrarum*, non fuit ostentationis captatio, sed confirmatio Judæorum captivorum. *Dan. 6. 10. Matth. 6. 6.*

72. *Multiloquium* non ex zelo Christiano, sed ex diffidentia Ethnica, & superstitione Papistica fustum damnatur. Christus namq; *integram noctem perduravit in precibus*. *Luc. 6. 12.* Et Paulus jubet *semper orare*, intellige affectûs dispositione, non effectûs executione. *Matth. 6. 7.*

73. Deus etsi novit necessitates nostras, ideo tamen preces non sunt superfluae & frustraneae, precibus enim nostris non tam necessitates nostras notas Deo facimus, quam confitendo nostram indigentiam ipsum celebramus. *Matth. 6. 8.*

74. Oratio Dominica non tam verborum identidem superstitiosè repetendorum, quam rerum summatarum petendarum est idea. *Matth. 6. 9.*

75. *Sanctificatur Deus* non effectivè, quasi ex non sancto sanctus efficeretur; sed annunciativè & predicativè, dum sanctitas illius agnoscitur, agnita praedicatur. *ibidem.*

76. *Patre* invocato invocatur Filius & Spiritus sanctus. Qui videt Filium, videt Patrem; sic qui credit in Patrem, credit in Filium.

77. Nostra remissio non est causa, sed effectus, & signum remissionis divinae, nisi enim Deus prior remitteret peccata nostra, non haberemus charitatem, si non charitatem, non possemus remittere offensas nobis illatas. *Matth. 6. 12.*

78. *Deus inducit in tentationem*, ut justus iudex: Diabolus, ut licitor: Homo, ut offensos Dei flagellum sibi trahit. Hic tamen non erit Deus causa mali, sed & culpa, & poenae author homo. Notandum hic Deum circa peccatum versari 8 modis: 1. Negativè. 2. Permissivè. 3. Privativè. 4. Objectivè. 5. judicialiter. 6. Directivè. 7. Limitativè. 8. Activè, sed improprie, quatenus vitam, motum, viresq; dat peccatori: Nullo modo tamen causa peccati dicitur. *Fusius de hac re vide nostr. Virgam Mo-*
sis in

ſes in Genes. cap. 45. verſ. 8. theſ. 1. Matth. 6. v. 13.

79. Clauſula Orationis Dominicæ malè averruncatur à Pontificiis, quùm inſit textui Græco: Cui ſuccenturiari poteſt & antiquiſſima verſio Syriaca, quæ etiam formaliter habet. Nec obſtat quod in Luca non extat. Sufficit extare in uno Euangelistarum. Quia Matthæus adſcripſit, non eſt delenda; Quia Lucas omiſit, non eſt eo inſcribenda. Murmurant Pontificii: Non extat in Latinis Verſionibus. Quid murmuratis Phariſæi? Num verſio præjudicat fonti? Comateſſus quosdam adducunt Patres, qui omiſerunt hujus clauſulæ explicationem: Diſcite Pontificii, Patres valent cum ſcriptura, non contra ſcripturam. Deniq; hiſ Patribus opponimus Cryſoſtomum, Theophylaſtum, &c. qui copioſam explicationem ſuper hanc clauſulam ſcripſerunt. *Matth 6. 13.*

80. Bellarminus per *ſimplicem oculum*, rectam intentionem, per *lucernam corporis*, bonum opus intelligendo, malè hinc probat boni operis perfectionem. Hoc enim eſt ſimile, non idem. *Matth. 6. 22.*

81. Non Chriſtiana diligentia hîc, ſed Ethnica diffidentia damnatur, commendatur quin potiùs diligentia Chriſtiana. *1. Tim. 5. 8. Matth. 6. 25.*

82. Non *judicium juſtum*, neq; officium Magiſtratus hîc damnatur, ſed *judicium temerarium*, intempetiſſimumq; , quod patet ex interpretatione Chriſti, *Joh. 7. 24. Ne judicate ſecundum ſpeciem, ſed juſto judicate judicio.* Reclamant hîc Anabaptiſtæ & Sociniani, ju-

ni, judiciorum & Tribunalium everfores, adducuntque *Matth. 6. v. 14. 15.* Sed ibi agitur de remissione offenfarum, non de remissione juris: Verbo, damnat Salvator, non judicium, & vindictam publicam, fed modum rei, i. e. falſum judicium & privatam vindictam. Alia ergò ſunt judicia publica, alia præjudicia privata. Nec obſtat *1. Cor. 6. 7.* Ibi enim agit Paulus de judiciis de levioribus rebus habitis, iisq; coram Ethnico Magiſtratu, quas componere debebant *ſub ſanctis, v. 5.* Neque locus *1. Cor. 12. 4. 5.* quicquam officit. Charitas enim ſuffert omnia, intellige, ſufferenda, ſicut fides credit omnia, ſcilicet credenda. *Matth. 7. 1. 2.*

83. Malæ conſcientiæ judex reduplicativè qua malus eſt, legitimè de fonte nequit ferre judicium. Turpe enim illud eſt damnare, de quo ipſe poſſit damnari. Eſt de facto ſæpè falſus judex judicat alios. *Ibidem.*

84. *Festuca*, quia nonnihil læſionis adfert oculis, malè à Pontificiis dicitur ſignificare veniale peccatum. Non ergò peccati nullitas & venialitas, ſed gradualitas hîc indigitatur. Ut ergò vel minima feſtuca lædit oculos, ſic vel minimū peccatum, & niſi meriti Chriſti manu eximatur nobis, nos damnare poteſt. *Matth. 7. 4.*

85. *Sanctum canibus, margaritæ porcis*, non antecederet talibus qui tales erant, ſed reduplicativè & conſequenter, qua nunc tales ſunt, non ſunt danda. Per *canes & porcos* intelligendi ſunt *obſtinati*, & verbi contemptores conculcatoresq; . *Matth. 7. 6.*

86. Sicut Sol sine sole non potest videri, sic nec Spiritus Sanctus sine operatione ipsius potest rogi. Petenti verò per Spiritum Sanctum datur major copia donorum Spiritus Sancti. Faceſſat ergò hinc ſcòptica Pontificiorum illuſio, qui illudunt Reformatiſtis noſtris Eccleſiis Pannonicis dicendo: Calviniſtæ Hungari dicunt: *Adgy Ur Iſten Szent Lelket.* Ergo non habent. Apage! non tentabis Sathana. David nos ita docuit petere Spiritum Sanctum, *Pſal. 51. 12.* Petimus, non quia non habemus, ſed ut plus gratiæ Spiritus Sancti habeamus. Nemo ſiquidem eſt tam habens in mundo, qui non plus à datore indigeat accipere Deo. *Matth. 7. 7. 8.*

87. *Introitus in regnum Dei* non eſt in viribus humanis ſitus. Ab officio enim *debere*, ad facultatem *poſſe* in negotio ſalutis mala eſt illatio. *Matth. 7. 13.*

88. Reſiſtibilem gratiam hinc in Deo malè probant Adverſarii, quaſi Deus vellet omnes & ſingulos homines ſalvare, ſed homines Deo reſiſtunt: Hoc dicere, eſt arietare in ſcripturam quæ dicit: *Voluntati ejus quis reſiſtit? Rom. 11.* Redarguat illos David *Pſal. 115. 3.* *Deus, inquit, noſter in cœlis eſt, quæ vult facit omnia.* Hoc non facit ut omnis homo ſalvetur, Ergò nunquam voluit. *Ibid.*

89. *To Cavete à Pſeudoprophetis* non arguit, quominus homines reſiſtant hæreſiarchis. Docemus id contra Quodlibetiſtas, qui quamlibet Religionem (rectius Rebellionem) admittendam in regno docent. *Matth. 7. 15.*

90. Malè Pontificii ex *bona arbore* bonum fru-

ctum producente, excudunt liberum hominis arbitrium, & operis boni perfectionem. Ut enim *arbor non ex se, sed ex irrigatione pluviae, & operatione Solis profert fructum*; sic nec homo ex naturæ viribus facit bonum, sed ex irrigatione gratiæ Dei, & operatione Spiritus Sancti facit bonum opus. *Matth. 7. 17. 18.*

91. Vera fides per Patram, i. e. Christum fundata, et si afflicta, affluetetur, tamen non deficit, oppugnetur, sed non expugnetur. *Matth. 7. 25.*

92. Conditionalis petitio leprosi, nihil obstat quominus fideles certi esse possint de orationis exauditione, deq; salute æterna. Alia enim ratio bonorum temporalium & corporalium petendi, alia æternorum & spiritualium bonorum ratio petendi. Illa conditionaliter, hæc absolute. *Matth. 8. 2.*

93. Leprosus Christum agnovit esse verum Deum, quia omnipotentiam ei tribuit, Discant ab eo Arriani Deitatem Christi. *Ibidem.*

94. *Extensa manus Christi*, refutat Marcionem, qui corpus Christi spectrum fuisse dicebat: *Tò volo, Photinum, qui verum Deum esse negabat; Ecce potest velle & facere opera infinito Deo digna!*
Tò Mundus esto Arrium, Ecce solo mandato sanat.
 Malè ergò Arrius dixit inferiorem Patre. *Matt. 8. 3.*

95. Centurio in iudicio damnabit Arrianos, Photinianos, & Socin. Quia ipse Christum verum Deum esse agnovit, & ut Deum adoravit. I. Omnipotentiam

tentiam ejus agnovit. dicit enim, *Dic saltem verbum*
Ec. 2. Comparat se cum eo tanquam inferiorem.
 Frivolum est hic effugium Hæreticorum, quasi hic
 collatio esset parium, Errant errorem vitiose ver-
 sionis, quæ Græca verba malè habet versa, καὶ ἄνθρωπος
ἀνθρώπος ἐστίν, Nam et ego homo sum, quæ veritè de-
 bebat: *Etenim ego homo sum,* ut sit sensus, Si ego
 existens homo, subditus alterius potestati, possum
 mandare meis servis, tùm tu multò magis possis
 (quum non es homo subditus alterius potestati) im-
 perare morbis, ceu servis, & tua verba recipient, re-
 cedentq; à servo meo. Non dissimulamus hic Vene-
 rabilem etiam Bezam nostrum in priori versione
 veritè sic; Nam et ego sum homo &c. Sed pia illa
 anima, quum vidisset se ibi errasse ex inadvertentia,
 piè hunc errorem correxit, omnibus versionibus
 sic addendo: *Etenim ego sum homo. Matth. 8. 9.*

96. Petrus in Ecclesiastico statu, dum domum
 habuisse legatur, duo resutantur eo ipso errores,
 1. Monachorum, qui possessiones abjiciendas do-
 cent Ecclesiasticis. 2. Anabaptistarum, qui omnia
 volunt esse communia.

97. Idem Petrus habens *secrum*, damnat Pon-
 tificios, qui Ecclesiasticis abemptum volunt fan-
 ctum conjugium. Num ipsi sanctiores Petro conju-
 gato? *Matth. 8. 14.*

98. Esaias & Matthæus non pugnant, Esaias
 enim loquitur de causis morborum, id est peccatis
 ablatis, Matthæus de morbis ablatis, quæ sunt effe-
 cta peccatorum. Sublatà ergò causà sublatus est

& effectus, sicq; optimè Esaias & Matthæus concordant. Malè ergò docent Sociniani Christum improprie peccata abstulisse fidelium, quia morbos tantum abstulit, At conjungenda malè disjungunt. Abstulit cum causa & effectum causæ. Hinc *sanguis illius purgat nos ab omni peccato. 1 Joh. 1.7. Matth. 8.17.*

99. *Scribam* divitias apud Christum quærentem dum rejicit Christus, non est sibi contrarius, qui dixit *Joh. 6. v. 37. Venientem ad se non ejici foras.* Posterior enim locus sonat de rectè & sincere ad Christum, propter Dei gloriam accedentibus. At *scriba* præfatus, Christum propter divitias externas quæsit, quas nancisci posse autumabat ex antè-visis miraculis. Repudiat hunc Salvator, q. d. Quid me propter divitias, & seculi lucrum cupis sequi, quum tantæ sim paupertatis, ut ne hospitium quidem habeam, nec meo proprio utar lectulo? ut venustè habet Hieronymus. Nec refragatur huic Periphrasi quod *Capernaum civitas Christi vocatur*, Ita siquidem vocatur, non propter rem ibi possessam, sed propter Virtutem illic præstitam. *Matth. 8.19. 20.*

100. Christus est Verus Deus contra Arianos, quia invocatur à discipulis, Ubi arguuntur discipuli, quod timida in ipsum credant fide, Ille solus in calamitatibus invocandus, non Maria, non sancti, & in procellis, Christus, non verò Nicolaus, ut somniant Pontificii, *Matth. 8. 25.*

101, Relativa particula *eorum* non excludit, sed includit Paralyticum. & si enim non infitemur fidem

dem alienam in corporalibus bonis nanciscendis prodesse, tamen profitemur in justificationis negotio, solâ propriâ fide justificari, juxta, *Hab. 2. 4. Matth. 9. v. 2.*

102. Quum Jesus Christus remittat peccata authoritative, hinc liquet eum summum Deum esse, fatentibus vel ipsis Pharisæis *Marc. 2. 7.* qui hanc authoritatem soli Deo tribuebant. Christus igitur aut recte remisit peccata, aut non; Si rectè, est summus Deus, si non rectè, est simulator, posterius absurdum, ergò prius verum. Nec obstat quod in cruce dixit, *Pater remitte illis.* Remittit enim *Pater*, ut causa ignoscens: *Filius*, ut promerens: Spiritus Sanctus, ut obsignans. Sacrilegus est ergò Papa Romanus, qua hanc divinam authoritatem sibi vendicat. *Matth. 9. v. 6.*

103. Manichæus false negat hoc Euangelium, Matthæum scripsisse, ex eo quod dicat, *se vidisse quendam sedentem ad Telonium, qui Matthæus vocabatur.* Sic & Moses de se scripsit; *Dixit Deus ad Mosem.* Sic & Johannes de se; *Vidit Petrus discipulum quem diligebat Jesus*, non dicit me Johannem quem diligebat Jesus, quia scriptores sacri de se humiliùs, quam de aliis scribunt, *Matth. 9. 9.*

104. Possunt Ecclesiastici suas possessiones habere exemplo Matthæi, qui domum, habuit postea quam se Christo addicavit. *Matth. 9. 10.*

105. Constantibus & bene-eruditis licita est conversatio cum Hæreticis, Infirmis & indoctis non ittem. *Ibid.*

106. Generalis propositio hæc, *Validi non opus habent Medico*, non præsupponit quosdam homines integros & perfectos esse Viribus naturæ.

107. *Iusti dicuntur non indigere pœnitentiâ*, non quia sunt aliqui iusti ὄντες; sed quia δοξαζομεθα ex opinione sui, & aliorum tales videntur. *Matth. 9. v. 13.*

108. Non absolute dicitur Deus non delectari sacrificio, sed comparatè admisericordiam, ut patet ex *Hof. 6. 6. Deus delectatur cognitione magis, quam holocausto. Matth. 9. 15.*

109. Non de *jejuni*o quadragesimali (ut vult Bell.) sed de luctu discipulorum habendo *desublato ab eis Domino & Sponso*, loquitur Salvator. *Matth. 9. 16.*

110. Quia non ex *Vestimento* Christi vis processit, hinc. 1. Malè Reliquiæ conservantur & adorantur à Pontificiis. 2. Quia non ex humana natura, vis profecta est, sed ex persona. Hinc in Eucharistia male corpus Christi adoratur. *Matth. 9. 22.*

111. *Duorum cæcorum* dum Matthæus meminit, & Lucas cum Marco (*Luc. 18. 15. Marc. 10. 46.*) *Unius*, non pugnant. Duo enim erant, sed in uno illorum illustrius fuit miraculum de quo duo Euangelistæ. Nec in eo adversantur, quod unus dicat in via, alter in diversorio, sanatos, clamabant enim in via, & sanabantur in diversorio. *Matth. 9. 27.*

112. Fides non est causa meritoria, sed organum & mensura beneficii recipiendi, *Matth. 9. 20.*

113. Postquam discipuli doctrinam fidei miraculis

culis confirmarunt, non indigemus nos amplius miraculorum patratiōe; Sunt ergo similes Phariſæis Pontificii, qui à nobis *ſigna & miracula de cœlo poſcunt*. Satis eſt miraculi, quod intra tantam Euan-
geliſi lucem, Pontificii cæcutiunt. *Matth. 10. 1.*

114. *Petrum* primo loco locatum multi conce-
dunt & docent reſpectu ordinis, non dignitatis; No-
biſtamen videtur hoc non eſſe Univerſale, ſiquidem
& reſpectu ordinis non ubiq; præponitur Petrus.
Vide *Gal. 2. 9. Jacobus, Cephas, & Johannes*. Si ergo
de ordine id non poteſt dici, multo minus primatus
& Monarchatus Petri hinc poteſt colligi. *Matth. 10. 2.*

115. Judas *Iſchariotes* malè docetur à Bell. fuiſſe
in vera Eccleſia. Quia electus fuit ad Apoſtolatum,
non ad Vitam æternam. Fuit in Eccleſia externa,
viſibili, ſed non de Eccleſia inviſibili & interna. *Matth.*
10. 2. 4.

116. Salaria miniſtrorum non prohibet, ſed ab-
uſum & quæſtum divinorum donorum. *Dignus*
alias, mercede *τεοφῦς*, non *τευφῦς*, mercede Vi-
ctûs, non luxûs *mercenarius*. *Matth. 10. 2.*

117. *Virga* dimicatoria, non ſuſtentatoria prohi-
betur. *Ibid.*

118. Prout pœnæ non ſunt æquales, ſic nec pec-
cata æqualia, ut volebant Stoici. *Matth. 10. 11.*

119. Providentia Dei quùm extendit ſe vel ad
paſſerculos in terram cadendos, capillosq; capitis deceden-
dos; hinc liquet providentiam Dei extendere ad mi-
nimas quaſvis etiam res. *Matth. 10. 30.*

220. Eleemoſynam dare in nomen Petri vel Pauli

sub hoc formali qua sunt homines, non est licitum, cum primis respectu mercedis: Dare potest verò quilibet *nomine discipuli*, id est, tanquam vero Christi discipulo. *Matth. 10. 41.*

121. *Merces Prophetæ* non dantis, & merentis, sed *recipientis* intelligitur. Sensus est, Qui misericors est erga Prophetam, gratiam quam facit Deus Prophetæ, similem & miserenti dabit homini. *Ibidem.*

122. Viribus non humanis, sed manibus gratiæ *rapitur regnum* Dei. Nihil locus ergò Pelagianis faver. *Matth. 11. 12.*

123. Non est abrogata lex moralis Veteris Test. Nec euincitur ex eo, quod *lex et prophetæ usq; ad Johannem*, quia sonat de lege ceremoniali, non morali, & deniq; de novis oraculis in Christo completis. *Matth. 11. 13.*

124. Non choreæ combinatæ approbantur, sed res à similitudine tantum illustratur. Nec valet effugium: Similitudo ab ea ducitur. Ergo est res bona. At hoc est falsum. Similitudo siquidem ducitur ab *adulterio*, *Hos. 1.* ane idcirco adulterium bona res? Adde, quod Paulus Israelitarum choreas Idololatriam vocat. *1. Cor. 10. 7.* Quomodo saltator est Idololatra? Sic: Quia homo postponit Dei mandatum humanæ voluptati, præponit hominem Deo, quia pro gratia unius & alterius saltat, & sic indirecte saltator est idololatra. Damnat choreas adjuncta & inseparabilis superbia quoq; , & quandoq; etiam ebrietas huic socia. *Matth. 10. 17.*

125. Hinc scientiam mediam malè effabricare conantur Remonstrantes & Sociniani, in Deo esse, Deo siquidem non est necessarium præexistere rem, & ita de ea decernere. Ipse siquidem determinat *rem ab antiquo quæ nondum est*. Isa. 46. 10. Et nota sunt Deo ab omni ævo opera sua. Act. 15. 18. Adde quod etiam Non-Entia sunt Deo præsentia. Matth. 11. 20.

126. Ex eo quod Christus omnia habet à Patre. Non sequitur inferiorem esse Patre quoad divinitatem, sed quoad humanitatem, & officium mediatori-cum, Adde quia non habet aliquid ex gratia, sed ex natura. Sic deniq; nec Pater esset verus Deus, quia omnia quæ Pater habet sunt Christi. Joh. 17. 10. Matth. 11. 27.

127. Non omnes vocat salutis sine Christus, sed eos limitativè qui onus sentiunt peccati, unde cadit universalis electio & vocatio. Matth. 11. 28

128. Non est in hominis Arbitrio venire ad Christum, ut volunt Pelagiani. Quia mandatum Dei respectu fidelium, non tantum est Imperativum, sed & operativum, Deus ergò fidelem dum vocat, trahit ceu Pastor oviculam, tenero ramo suæ gratiæ, Joh. 6. 44. *Nemo venit ad Christum, nisi Pater traxerit eum.* Regerit Pelagius; Quia omnes sunt onerati; Ergo omnes vocat, & sic omnes ibunt. Resp. imò quia sunt onerati, suis viribus procedere non possunt, Ibid.

129. Nihil de impletionem legis ex viribus naturæ, à levitate jugi Christi sequitur. Non enim saltem jugum Christi legale, sed & Evangelicum viribus na-

turæ est grave, at per gratiam levificat. *Phil. 4. 13.*
Matth. 11. 30.

130. Nihil derogat divinitati Christi quominus fiat summus Deus, quia vocatur *Servus*: Talis enim dicitur, non quoad naturam divinam, quia verum illud Christi, *Ego & Pater* (quoad divinam naturam) *unum sumus*; sed quoad humanam naturam, & statum mediatoricum id dicitur. Quod de humana natura propriè intelligendum sit, patet ex seqq. *non audiet*, inquit, *vocem ejus quisquam in plateis. v. 19. Matth. 12. 18.*

131. Quum peccata quædam, *neq; in hoc seculo, neq; in futuro remitti dicantur*, falsè hinc extruit purgatorium Bell. Stringamus! Quod neq; in hoc seculo, neq; in futuro existit, illud ipsum est Non-Ens. At purgatorium est tale, Ideò est Non-Ens. Si verò dicant existere in hoc seculo, & in eo remitti peccatum in Spiritum sanctum, tum blasphemia fit Christo ab adversariis, & verbum illius erit falsum, quippe quia sic peccatum in Spiritum Sanctum hoc seculo remittitur. At Teste Marco *in æternum non remittitur* tale peccatum, *Marc. 3. 29. Matth. 17. 32.* Nec obstat quod Christus eos hortetur ad pœnitentiam. Erant namq; inter Pharisæos tales qui non peccabant in Spiritum Sanctum, & tales hortatur *v. 33. Matth. 12. 32.*

132. *Corterræ* non significat Limbum Pontificum, sed sepulchrum, quod fuit in medio terræ, quippe Petram in terra existente incisum. Sic *Tyrus dicitur sita in corde vel ostio maris. i. e. ad littus maris. Ezech. 27.*
Matth. 12. 40.

133. Quia

133. Quia *fratrum* Christi fit mentio nihil hinc probat Helvidius, Mariam etiam plures habuisse filios. *Fratres* enim hic non Couterini, sed consobrini intelliguntur. *Matth. 12. 46.*

134. Ex Parabola *seminis* cadentis inter spinas, & in terram Petrosam, male Lutherani & Pontificii oralem corporis Christi in Cœna domini manducationem colligunt, vel respectu infidelium quoq; : Non enim hoc inde sequitur, sed illud ; Sicut corda illa, quæ sunt instar spinosæ & Petrosæ terræ, verbum Dei non verè recipiunt, sic nec infideles corpus Christi : Panem domini, nempe, recipiunt, ore externe ; At panem Dominum, fide non recipiunt internè, *Matth. 13. 7.*

135. *Seminis in terram bonam* jacti dispar fructus, non arguit præmiorum vel meritorum diversitatem, ut volunt Pont. quasi Martyribus centesima, virginibus sexagesima, & viduis trigesima addantur præmia. Hic enim agitur de credentium dictis & factis, ut doctè D. Piscat. *Matth. 13. 8.*

136. Quia Apostolis datum est nosse Mysteria regni Dei præcipuè, hinc male laicis prohibetur in Papismo Bibliorum lectio ; Sensus loci est : Ego vobis dignabor explicare, reliquis non item : Nec impedit Laicos quominus legant, quia non intelligunt. Aliàs nec Apostolis fuissent legenda Biblia, quia non intellexerunt. Idq; non propter obscuritatem scripturæ, sed ob cœcitatem mentis humanæ. Sic lucidus Sol non videtur à cœco. *Matth. 13. 11.*

137. *Temporalis fides* quia non habuit radicem, non fuit vera fides. Ergo nihil hic de amissione veræ fidei. *Habenti enim semper dabitur, & abundabit. Matth. 13. 21.*

138. Etsi non sit erronea sententia, quæ statuit gradus dari in vita æterna; tamen hinc infallibilitèr concludere est, non dari gradus, quia omnes justii fulgebunt ut sol, jam verò solis luce non est major Lux. Nec obstat huic sententiæ, *Danielis. 12* ubi dicuntur Doctores aliorum, splendere splendore expansi, vel splendore stellarum. Hæc enim mutuant lumen à sole, & sic Doctores non majorem habebunt gloriæ gradum, quam quispiam justus. *Matth. 13. 43.*

139. Judaicæ opinioni nil favet locus. Herodis enim verba non sunt verbum Dei, sed tantum circa verbum Dei scripta. Sic nec Pythagoricis, qui animas corpore egressas, alteri corpori adintrandas censebant. Refutat illos Salomon. *Eccles. 12. 9. sec. Tremell. Matth. 14. 12.*

140. Prohibitio graduum, non est Lex Cærimonialis, ut volunt Pontificii, sed moralis. Urget siquidem Johannes ut moralem legem. *Matth. 14. v. 4.*

141. Juramentum malè & illegitimè admissum, non est Juramentum, sed perjurium, ideoq; non est explendum; hoc pacto enim peccatum peccato additur. *Matth. 14. 7.*

142. Ex eo quod Christus *ambulavit super aquã maris* malè probant Adversarii, simul & semel corpus Christi posse esse in diversis locis. At dùm fuit super aquas

aquas, non fuit in terra. Adde, quod sic & Petrus esset pluribus in locis, quia ambulavit super aquas. *Matth. 24. 15.*

143. Mandato Dei Traditiones Pontificiæ sunt contrariæ. Nec valet cavillum Bell. Dominum hîc loqui de variis & superstitiosis Traditionibus. Ast audi Bellarminiana progenies! Quid vanius? Quid superstitiosius? quam baptizare campanas & bombardas? quid superstitiosius calicum consecratione? quos lajcis non licet attingere nisi chirothecis sumptis. Sic videmus Papistas esse illos Pharisæos, qui mandatû *divinum transgrediuntur per Traditiones suas.* Hi sunt qui diei dominicæ præferunt festa sanctorum ab ipsis deputata. *Matth. 15. 6.*

144. Discrimen ciborum, non est de natura jejunij, quùm cibus non polluit hominem, qui *ingreditur in os.* Excipit Bell. non polluit quod ingreditur in os quoad naturam, sed polluit quoad circumstantiam. At rogo, an vesci illotis manibus pertinet ad circumstantiam? Aude aliquid, & aj contra Christum! *Matth. 15. 12.*

145. Impium dogma, Adversariorum hic locus refutat, quod docet corpus Christi manducari oraliter, adeoq; sanctissimum corpus Christi in fetidum descendere stomachum. Ecce teste Salvatore, quod descendit in stomachum, in latrinam ejicitur. Bellar. comprimenda hic labella, obturandas aures, & nihil respondendum censet. Interim oblitus antedictorû non saltem non comprimit labella, sed & ore nugaci, talem inutilem profert distinctionem: quip-

quippe, id quod ingreditur in stomachum nutriendi ergò, cedit in latrinam, non verò quod præter nutrimentum sumitur. Ast hallucinatur, medicamenta siquidem sumuntur non nutriendi causa, sed sanandi, tamen cedunt etiam in latrinam. Plumbo & ferro opus est adversariis, fumant plumbum non nutriendi causa, videant an cedit in latrinam! Vide de hoc Excellentiss. Theolog. D. Daniele Chamierum. in Panstrat. de Euch.

146. Ita personalis est hæc promissio Petro, ut reliquos Apostolos ab ea Christus non excludat, sed includat ut patet Joh. 20. 23. Neq; primò Petro Christus est revelatus. nec Petrus primò de Christo fecit professionem; jam enim ante Apostoli reliqui dixerant: *Tu es vere filius Dei Matth. 14. & Joh. 6. Matth. 16. 17.*

147. Petrum non constituit sibi vicarium, vel caput Ecclesiæ Christus, quorsum enim opus vicario vivente Christo? At tunc vixit Christus dum hæc dixit. Adde quod ait, *Tu es.* Non dicit ergò, eris postquam ego moriar. *Matth. 16. 8.*

148. Pronomen *Hanc*, non Petrum mortalem; sed Christum petram & fundamentum salutis notat; vel confessionem de Christo Petrâ factam. Stultum sanè esset, fatente quoq; Maldonato, Ecclesiam immortalem, super mortalem fundari Petram; qualis erat Petrus. Non mirum si defecit Papistica Ecclesia à Christo, quia non habuit Christum fundamentum. Parùm juvat lingua Syriaca Papi-

Papistas quasi *Petrus & Petra* sunt idem. Ut ut sit in Syriaca, in Græca lingua tamen sunt diversa. Ibid.

149. *Claves* Petro non ut Principi, sed ut Oeconomo & servo datæ, non arguunt ejus Monarchatum & primatum, sed servilem conditionem. Unde jurè damnatur dominatus in Ecclesiis Papanis: Clavis receptio ab aliquo non summam potestatem, sed Oeconomicam dispensationem significat. Hinc Petrus se scribit *servum Jesu Christi*: Nec obstat quod & Papa sic scribit, Scribit enim Titulum sic, sed actu dominium exercet super omnem vitulum. Ibid.

150. *Abnegatio sui* non obedientiam cæcam, (ut volunt Pontifici) significat, sed subjectionem voluntati divinæ, & humiliter Christi assequutionem. At ignorantia fratres non Deo mandanti sese subjiciunt, sed hominibus. Deniq; nec humiliter sequuntur Christum, quia arroganti sibi meritum. Demùm, sine abnegatione sui nemo salvatur, at sine cæca obedientia salvari potest homo, fatentibus Pontificiis. Igitur malè abnegatio sui, sumitur pro cæca obedientia, *Matth. 16. 24.*

151. Matthæus & Marcus *sexto post die* docent fuisse transformationem Christi, mominando dies integros. Lucas (c. 9. 28.) verò finem primi & ultimi quoq; initium addens, *octavo post die* docet fuisse, intelligendo dies incompletos. *Matth. 17. 1.*

152. *Solus Christus audiendus* est Magisterialiter, Ministri verò secundariò. Errant ergo hic 1. Pon-

ificii, qui Papamaudiunt Magisterialiter. 2. Anabaptistæ, qui Ministros & doctores vellent esse sublatos, contra id: *Qui vos recipit, me recipit. Matth. 10. 40. Matth. 17. 4.*

153. Acquievit Deus in Jesu Christo mediatore. Ergò illius satisfactio est perfecta & sufficiens contra Socin. & Pontific. *Ibid.*

154. *Eliæ Thesbitis adventum & pugnam cum Antichristo malè hinc colligunt Pontificii. siquidem Elias ille de quo hoc loci agitur, i. e. Baptista Johannes, jam ante Christum venerat; explicante Christo. Matth. 17. 11.*

155. Corpus Christi nunquam factum est invisibile, subjectivè, sed objectivè ita dicitur in *transformatione*, quia propter gloriam discipuli nequibant conspiciere.

156. Privilegium Petri & primatus malè ex eo colligitur à Papistis, quod Christo par fuit in *solvendo*. Subulci enim pariter pares erāt in solvendo personatim, numne pares Christo docebunt? *Matt. 17. 27.*

157. Inter Ecclesiasticos Christus damnat Monarchiam & Primatum. Ergò non dedit Petro, nec Petrus Papæ. Quocirca primatus in Ecclesia & dominatus, est Papalis iniqua juris divini usurpatio. *Matth. 18. 1.*

158. Superstitiosè ex hoc loco Pontificii docent, singulis hominibus peculiarem designatū esse Angelum, contra *Psal. 34. 8.* Ex eodem loco malè probant Angelos simul & semel in coelo & in terra esse, quia

quia *semper vident faciem Patris in cœlo*, Resp. dùm sunt in cœlo semper vident, at dùm sunt quoq; in terra adest illis Deus. Egrediuntur verò cœlo sæpè Angeli, teste Gregorio, & tunc deserunt cœlum non sunt in cœlo, sic & Jansenius, non esse in cœlis dum ad nos mittuntur. At emittuntur, ^{multis temporibus} *Hebr. 1. 14.* Perperam hinc & Lutherani quidam probant essentiam Dei posse videre, Quia ut impropria est visio Angelorum, sic & facies Dei. *Deus est spiritus*, igitur carnem & ossa non habet, et sic invisibilis. Hinc *non potest videri. 1. Tim. 6. 16. Matth. 18. 10.* ^{Si enim hoc & magis}

159. Excommunicatio quàm sit Totius Ecclesiæ, malè Papa sibi vendicat hoc jus (quo excommunicat Reges) quàm ipse non sit Ecclesia, imò nec de invisibili Ecclesia, quia neq; caput, neq; membrum est veræ Ecclesiæ. Vera enim Ecclesia habet Christum caput. Est tamen Papa in Ecclesia, non secus ac vermis in pomo, ut tamen vermis non est de essentia pomi, sic nec Papa est de essentia Ecclesiæ. *Matth. 28. v. 17.*

160. Blasphemum est in Christi ordinationem Tridentinum Concilium, Christus dicit *ob scortationem fieri posse divortium*. At Concilium Trid. anathematizat illum, qui docet posse solvi matrimonium propter alterutrius conjugum adulterium. Vide Concil. Trid. de Matrim. Can. 7. Sess. 8. *Matth. 19. 6.*

161. Monachos reprehendit hic locus, quia ex statu conjugato ad Monachatum transfugere præsumunt:

sumunt: peccant in Regulam Christi, *Quæ Deus conjungit, homo ne separet.* peccant & contra Apostolum qui dixit 1. Cor. 7. *Unusquisq; in qua vocatione vocatus est in ea maneat.* Non ovum ovo similis quam Pontificii Pharisæis *camelum deglutientibus, culicem percolantibus.* En propter Monachatum solvunt conjugium, Et propter adulterium negant posse solvi. Hoc est culicem colare, & camelum deglutire, *Matth. 19. 9.*

162. Iniqui sunt Anabaptistæ in electos infantes, quippe, quos Deus recepit in foedus, illisq; dabit vitam æternam. Ecce invidi Anabaptistæ signum foederis, quod minus est, negant infantibus dari, intellige Baptismum. *Matth. 19. 14.*

163. Christus non negat se esse *bonum*, uti nec Deum, sed loquitur ex opinione illius Juvenis, q. d. Tantum Deus est bonus independentèr, quare me dicis bonum, quùm Deum esse me non credis? Quod se Deum esse non negavit, discant Arriani ex *Joh. 14. 1. Creditis in Deum? etiam in me credite.* *Matth. 19. 17.*

164. Remittitur Juvenis ad bona opera, non tanquam merita, sed tanquam media vitæ æternæ. Unde cadit meritum bonorum operum. *Matth. 19. 21.*

165. *Ultimus in regno cælorum* significat, nullum esse, ut patet ex *Matth. 5. 19. Qui malè docuerit Minimus erit in regno cælorum. i. e.* Nullus. Alias hoc loci, si *minimus* significaret gradum, sequeretur malos aliquos ingredi regnum Dei. Nihil ergò hinc ad diversitatem graduum vitæ æternæ. *Matth. 19. 30.*

166. *Mercēs* seu *denarium*, non significat vitam æternam, quia hunc denarium & *invidi* recipiunt, & *murmuratores*, jam verò tales non erunt in vita æterna. Scopus Christi est ostendere velle multos, qui se magnos putant esse in regno cœlorum i. e. in Ecclesia, nulli erunt in glorioso Dei regno, & contra, qui humiles sunt in Ecclesia Dei, glorificabuntur in cœlo. *Matth. 20. 8.*

167. Quia *mercēs* non ex debito, sed ex gratia datur, ex eo patet, quia etiam parùm laboranti æqualitèr datur. *Ibidem.*

168. Christus Mediator dicendo, *Non est meum dare sedere ad dextram meam & sinistram*, non docet se non posse dare. Unde malè Arriani, Socin. & Photin. Deitatem Christi oppugnant! Rem enim illicitè petitam nec Deus Pater dabit, tamen ideo non sequitur, non esse verum Deum. Adde quod suo tempore justè petentibus, Christus, ut potest, ita & vult dare, *Sedere in Throno suo. Apoc. 3. 21 Matth. 20. 23.*

169. Christus dehortando discipulos à cupiditate dominandi tali usus est argumento: Principum & Regum Mundanorum est dominari, vos non estis Principes &c. Ergò. Hinc itaq; liquet dominium in Ecclesia Papana esse usurpativum facinus Papæ.

De Christi Deitate illustria Testimonia exstant hoc capite. 1. Asinam namq; existentem vidit, unde omniscientia. 2. Jussit adduci ut dominus absolutus, hinc omnipotens. 3. Prædicat quia discipuli in-

terpellentur. 4. Scit dimissuros possessores, ipsam
 asinam. 5. Afficit illorum corda ita, ut dimittant.
Matth. 21. 2. 3. 4. & seqq.

171. Jesus Christus est Patribus promissus Messias,
 qui jam venit, quippe in quo completa est prophe-
 tia omnis, uti & Zachariæ hoc loco citata. Frustrà
 ergo Judæi somniant Christi nativitatem adhuc fu-
 turam. *Matth. 21. 5.*

172. Ignorantia ficuum in arbore, arguit veram
 Christi humanitatem, contra Manichæos: Exaritia,
 ficus ad unicum Christi mandatum, veram ejus di-
 vinam potentiam, contra Arianos. *Matth. 21. 19.*

173. Vocatio Dei alia est Imperativa tantum,
 alia Imperativa & operativa simul: Priori vocatio-
 ne vocantur Improbi per Ministros, cum nudâ præ-
 dicatione Evangelii, cui vocationi possunt resistere:
 At quos Deus operativâ in cordibus vocatione vo-
 cat, illi minime possunt vel volunt ei resistere. Quod
 improbos Deus internè non vocet, patet ex *v. 12.*
 quia rogat, *Quomodo huc intrasti?* q. d. Non
 ego te vocavi, inhumanitas fanè fuisset, si Deus
 hunc hominem vocasset, & tandem vocatum liga-
 tis pedibus & manibus in carceres perpetuos elimi-
 nasset. Servi invitabant, quia ignorabant quid in
 corde illius esset. *Matth. 22. 3. 22.*

174. Extra Ecclesiam nemo bonus Ethicè, & Theo-
 logicè, etsi sit Physicè. Unde falsatur dogma Pelagii
 ex foetido haustum Pelago, quo docebat hominem
 ante vocationem quoq; esse bonum & justum theo-
 logicè.

logicè. *Matth. 22.10* Hoc loco patet in Ecclesia visibili esse bonos, & malos contra Pontif. *Matth. 22.10.*

175. Christus quum, usus est in negotio fidei consequentiis, hinc liquet Socinianorum respuentium consequentiam, dogma falsum esse. *Matt. 22 32.*

176. Ex eo quod Christus dicitur *Filius Davidis*, refutatur Manichæus, qui hominem esse negat, quum verò Dominus Davidis dicitur, refutantur Arriani, negantes eum esse summum Deum. conf. *Psal. 110. 1. 2. Matth. 22. 45.*

277. Sicut Phariseorum verba non amplius erant populo recipienda postquam loquuti fuerunt *extra Cathedram Moſis*; sic Patribus nostris in Papiſmo latitantibus, non amplius erat auscultandum Papæ, postquam contra mandatum Dei loquebatur. *Matth. 23. 2.* Extra Cathedram Moſis est & explicatio illa Pontificia, vocis Hebraicæ Allelujah, cujus vocis compositionem talem addunt quidam Pontificii Hebraicæ linguæ ignari, Vid. *Al*, Altissimus, *le*, levatus est, *lu*, lugebant Apostoli, *ja*, jam resurrexit. Huic expositioni non est absimilis, expositio dicti, *1. Reg. 17. 6.* *Corvi attulerunt carnem Elia.* Vide commentum! *Corvi*, i. e. seculares; *attulerunt*, id est, donaverunt. *carnem*, id est, omnia necessaria, *Elia*, id est, Monachis. Vah impudentes Monachos! En propter frustum carnis vendunt (cum Esavo) primigenium scripturæ sensum!

178. Infallibilitas Ecclesiæ Romanæ iudicii hinc nequit colligi, siquidem non auscultat Moſaicæ

Cathedra verbis, sed nugis & Traditionibus superstitiosis Pharisaicis & Papisticis. Mosis enim *cathedra* est Lex, per Moſem data, quã habebant Papiſtæ penitùs ſubverſam propriis traditionibus. *Ibid.*

179. Quia *Chriſtus eſt Doct̃or noſter* non tollitur uſus ex eo ſcripturæ Sacræ ut volunt Enthufiaſtæ, nec legitimi Doctores ab Academiis & Scholis, uti nec Paſtores ab Eccleſiis, ut vellent Anabapriſtæ. *Matth. 23. 7.*

180. Malè reſiſtibilis Dei gratia hinc docetur, quaſi Chriſtus *voluit congregare Jeruſalem*, at illa reſtitit ei, Quos voluit congregare ex filiis, qua Deus, omninò congregavit, & ſi Jeruſalem, i. e. Phariſæorum & Scribarum turba, noluerit. Aliud hic eſt Jeruſalem, & aliud, filii Jeruſolymorum. Licet Jeruſolymam non congregavit, tamen filios ejus, id eſt, ſuo dicto audientem populum congregavit. Adde quod Chriſtus, qua homo etiam Phariſæos deflevit, *Luc. 19. 41. 42. Matth. 23. 37. 38.*

181. *Prædicatio Evangelii* præceſſit excidium Jeruſolymitanum, malè ergò Bellarminus ex hoc loco bella, arma, minatur iis qui docent Antichriſtum jam veniſſe, quaſi Euangelium adhuc juxta prædictionem Chriſti non eſſet nunciatum in potiori mundi parte, *Matth. 24. 4.*

182. Non Matrimonium per ſe damnatur, ut contra nos ex loco bellatur à Bellarm. ſed ſtatus incommodus conjugatorum, per accidens, hoc loci indigitatur. *Matth. 24. 19.*

183. Quodnam & quale illud *signum filii hominis* fiat, doctè ignoratur. Indoctè docetur à Pontificiis, *signum Crucis* intelligendum esse. Claudicant etiam hîc Pontificii scriptores, aliqui *signum crucis*, aliqui ipsam crucem somniant fore. Quicquid id sit, tamen Crucem Christi adorandam ex eo minimè probant. Reclamat Bell: vexillum Christi crit. Ergò adorandum. Ratio. Quia & Ethnici adorarunt vexilla Regum. Resp. Satis Ethnicè adorarunt, adorantq; etiam num Pontificii quoq; Remurmurant: In cœlo apparebit. Ergo adorandum. Resp. Cur Solem Papistæ non adorant, quum apparet in cœlo? Somniant & aliud. Manibus Angelorum feretur. Resp. Hoc docendum non dicendum. Dato etiam quod Angelorum manibus feratur, tamen non est adorandum, sic *Elias Angeli manibus latum azyma*, non adoravit, *Matth. 24. 30.*

184. Filius Dei, qua homo nescit diem iudicii (quia quâ Deus scit, *Joh. 16. 30.*) ergo nil obstat, quo minùs sit verus Deus. *Matth. 24. 36.*

185. In Ecclesia invisibili malè hinc putat Bell: etiam Reprobos esse. Adde quod qui in Ecclesia invisibili interna sunt, illorum cor est ut *lampas*, illorum fides, ut *ellyphnium*: *Oleum* est Spiritus Sancti gratia; At hæc improbi non habent, Ergo nec sunt de invisibili & interna Ecclesia. *Matth. 25. 1.*

186. Indulgentia Papalis hîc non habet locum, si verò habet, liceat stringere Papam: Sicut hæc emptio fuit frustranea, sic & indulgentia Papalis, at hæc

frustranea fuit. Ergo & illa. Hæc duo lemmata for-
num habent in cornu, tertium non datur. *Matth.*
25. v. 10.

187. Ex supplicio æterno hîc divulgato, damna-
tur Error Origenis, qui Diabolorum ex inferno li-
berationem docebat, vel somniabat rectiùs, *Matth.*
28. v. 46.

188. Expresse negat Christus corporalem suam
nobiscum præsentiam, & loco sui commendat *pau-
peres*. Jam qualiter *pauperes* adsunt, taliter Christus
abest; *Pauperes* corporaliter adsunt. Ergo corporali-
ter Christus abest. Placet Augustinum hic Pontificiis
afferre, qui Tract. 50. super Johan. dixit, quum di-
ceret Christus, Me non semper habebitis &c. loquu-
tus est de præsentia corporis. &c. *Matth. 26. 11.*

189. Christus in Eucharistiæ institutione. 1. Pa-
nem sumsit, Ergo non corpus suum. 2. Benedixit.
Ergo non adoravit; ac proinde non adorandus pa-
nis. 3. Fregit, Ergo fractio est necessaria. 4. Panem,
Ergo non ostiam spumam farinæ. 5. Accepit in
manus, E. non corpus suum, quia sic manus Chri-
sti seipsam accepisset. 6. Dixit, Accipite, Ergo
manibus accipiendus est, non ori intrudendus panis,
quasi os sanctius esset. 7. Sub utraq; specie, Ergo
falsatores sunt & fures Pontificii poculum Lajcis
abimenes. 8. Comedere iussit panem, & bibere
calicem, Ergo falsa est Papalis Coenæ dominicæ re-
servatio. Errant & illi hîc. 1. Qui literaliter & pro-
priè intelligunt verba Domini. 2. Panarii, qui in
panem

panem mutari ajunt corpus Christi, 3. Accidentarii, qui accidentia panis remanere dicunt absq; subjecto. 4. Corporarii, qui T^o Hoc, referunt ad corpus, ut sit sensus: corpus meum, hoc est corpus meum. 5. Momentanei, qui in momento prolatae sententiae, vel syllabae, Hoc enim est corpus meum, panem ajunt mutari in corpus Christi: At, quod non mutetur Panis in corpus Christi, sic demonstrabimus:

1. Quia sumpto pane, non dicit erit, sed est.
2. Quia si esset corpus Christi, esset illud corpus, quod crucifixum est, at tunc Christus nondum erat crucifixus.
3. Quia particulatim sumimus panem, at corpus Christi per fidem integrè sumit quilibet credens.
4. Panis est communicatio corporis Christi, E. non ipsum corpus.
5. Alias corpus Christi coqueretur in fornace à pistore.
6. Quia corrumpitur panis & vinum post consecrationem.
7. Quia sic & infideles ederent corpus Christi, & sic haberent vitam aeternam.
8. Quia sic panis & vinum coenae dominicae non esset sacramentum, sed ipsum signatum; non verò signum.
9. Quia est incantatio per 5. verba latina mutari panem in corpus Christi.
10. Christi corpus non intrat in stomachum, verò intrat, perit.

11. Quia sic Entitas illa Christi annihilaretur, sicut Aquæ in vinum versæ essentia.

12. Ante & post consecrationem vocat Apostolus panem. 1. Cor. 10. 16. 2. Cor. 11. 26. 27.

13. Quia Henricus 7. per panem talem est veneno extinctus à quodam Monacho Jacobita.

14. Regnum Dei non consistit in cibo & potu corporali. Rom. 14. 17.

15. In Baptismo quoq; nulla est talis metamorphosis. *mas formara valteras*

16. Homines sic non possent expectare è coelo Christum.

17. Sic Christus bis moreretur, in cruce, & cum corporibus nostris. At semel tantum mortuus est, non amplius moritur. Rom. 6. 6. 7.

18. Sic non possemus memorari Adventum Domini, si corpore esset præsens, quia memoria est absentium, non præsentium.

19. Quia si esset in terris quoad carnem, ne sacerdos quidem esset. Heb. 8. 4.

20. Quia talitèr edimus hanc spiritualem æscam, qualitèr Patres; At hi per fidem edebant æscam spiritualem, & per fidem bibebant ex spirituali petra, i. e. Christo. 1. Cor. 10. 3. 4. Si verò sufficiat oralis manducatio corporis Christi, tum sequitur etiam pecudes Israelitarum Christum recepisse, quia bibebant ex Petra in deserto. Num. 20. 21. Hæc scribentes suspiramus cum Hosea ex c. 4. 15. qui inquit: Si fornicaris Israel, saltem ne delinquat Jehuda! applicabimus hæc Lutheranis; Si aberrarunt Papistæ in ne-

in negotio Cœnæ Dominicæ, docentes Transsubstantiationem, utinam Lutherani non delinquant docentes Consubstantiationem! Considerate Lutherani, verba vestri D. Lutheri; qui in Epist. Respons. ad confess. Helvetior. in conventu Smalcaldico An. 1537. Mense Febr. dixit se nihil de Sacramentis in genere, & de Baptismo in confessione Helvetiorum desiderare, cujus formalia verba audite: *In articulo*, inquit, *de sacramento corporis & sanguinis Christi, ne nos quidem docuimus, neque nunc docemus, Christum è cœlo, vel à Dextra Dei Patris aut ascendere, aut descendere: SIVE VISIBILI, SIVE INVISIBILI, ULLO MODO. Retinemus enim articulum symboli: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus est &c.* Obtestor vos coram Deo, agnoscite tandem errorem. Nec pudeat vos Erroris agnoscendi, quum Lutherum hujus sectæ non puduit sibi conscium fuisse, quam sectam (& si non ita spissè & crassè ac vos, observatam) amississet Lutherus, nisi timuisset totam suam doctrinam hoc facto suspectam redditam fuisse? Dubitas? Veni & vide Mellific. Hist. Luth. part. 3. pag. 450. Ubi Lutherus ad Melanthonem: *Fateor, inquit, me longius in Controversia Sacramentaria progressum.* Cui Philippus: *Syadeo ergò ut leni scripto edite explices.* Luth. Resp. *Hoc modo totam doctrinam suspectam redderem, tu, Melanthon, post mortem meam fac quod tibi bonum videbitur* O Pia anima Philippo fuit visum post mortem tuam, ut Error tuus humanus humaretur; Ast ad tuam, tanti Docto-
ris

ris pudorem refodidarunt, Joachimus Westphalus (An. 1552.) & Brentius An. 1556. Dolendum quod multa tibi ignota, aliena; blasphemaq; affinxerunt.

190. Error Apollinaris hinc damnatur, qui docuit Christum animam non habuisse, sed loco animæ divinitatem adfuisse. Ecce hîc *Anima* opponitur carni. *Matth. 26. 38.*

191. Confessio Petri deficit in ore, non verò fides in corde, quia Christus *oravit pro Petro ne deficiat fides ipsius Luc. 22. 32. Matth. 26. 74.*

192. Petrus non dubitat de Deitate Christi ut Antitrinitarii, hominem verò dicit ex relatione responsoria ad quæstionem propositam, Quærebant, an novit hominem. Respondit, *non nosse hominem. Ibidem.*

193. Nec valet hîc simulatio Jesuitica quæ Petrus dixisset, *non novi hominem* eum scilicet nudum esse, sed Deum hominem novi.

194. Verba citata, non apud Jeremiam, sed apud Zachariam extant. Doctissimi interpretes putant nomen ullius prophetæ proprium adjectum fuisse in textu Græco, sed tantum sic: *Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam dicentem.* Unde credibile est Sciolum quendâ adjecisse nomen *Jeremie Prophetæ.* Simile quid apud eundem Prophetam videns. Huic assertioni succenturiari potest & antiquissima Syriaca versio, quæ nullum nomen alicujus Prophetæ proprium habet, de qua vide *Virgam Mosis in Deut. 33. vers. 6. thes. 3.*

195. Chri-

195. Christus est Patribus promissus *Menias*
e in quo Prophetæ omnes (uti & Davidis *Psal.*
sunt completæ contra Judæos & Turcas.

196. *Christus in cruce non fuit desertus à Patre* quoad
influxum sanctitatis, sed quoad influxum felicitatis.
Judiciosissimus interpretum D. Calvinus etsi dicat
Christo elapsam fuisse desperationis vocem, non tamē
dicit Christū desperasse. Cessent ergo calumnia-
Adversarii in sanctos Caluini Manes, *Matth. 27.*

197. Negatio Angeli de corpore Christi, *Non est hic,*
vacuitas loci, daclarant corpus Christi glorifica-
tum etiam non esse ubiq; *Matth. 28. 6.*

198. *Petro,* non ut Apostolorum Principi; sed ut
discipulorum omnium indignissimo, & foediùs la-
denunciare facit Angelus Resurrectionem Do-
mini separatim. Unde non ejus dignitas, sed ejus
indignitas concluditur, *Matth. 28. 7.*

199. Anabaptistæ malè ex hoc loco abarcent i-
des à Baptismo. Errant nesciendo vim vocis Græ-
cæ *μαρτυρῶ* non tantum significare, sed & *discipulos facere,* quod optimè in-
s per insitionem Baptismi competit. Ad
μαρτυρῶ hîc significaret docere, tum Ta-
a esset, *Docete omnes gentes baptizantes &*
entes eos &c. Matth. 28. 19.

200. Non concludunt, sed ludunt. Adv-
a cavillantur sic: *Ego vobiscum sum usq;*
nationem seculi. Sensum dicentes
i e. divinitate & humanitate. At
netq; ipsis illudere, esse illorum.

CLAVIS EUANGELICA.

mus conclusionem. Christus dixit, *Antequam Abraham esset ego sum*, an valebit explicatio partic. *Ego* per explic. divinitate & humanitate *ego sum*? Sic ubiquitarii, aut doceant carnem Christi esse eternam à priori, aut concedant Christum in voce, *Ego vobiscum sum*, non secundum Humanam, sed secundum divinam dici naturam. Utinam nostri Adversarii intelligant veritatem! *Deus Deus ipsis, nobiscum, intelligentiam in omnibus.* 2. Tim. 2. v. 7.

C L A U S U L A.

Hic finiam in tuo nomine, *ô Pater luminum*, Sine cujus lumine, & numine nihil est in homine: Fateor, mi Deus! *Tu in me hocce opus, incepisti, promovisti, & perfecisti.* Domine Deus! quaecunq; scripsi in hoc libro de Tvo, agnoscant & Tvi: & si quæ de Meo, & Tv ignosce & Tvi: Tibi gloria in omnem æternitatem, AMEN!

